
Osmanus Victus
Moscovia Humiliata
GESTORUM VLADISLAI·IV·
POL. et SVEC. REGIS,
PARS ·I·
PRINCIPEM PANEGYRICÈ. REPRÆSENTANS.
Auth. E. Wassenbergio S.R.M. Historiographo.
Editio secunda Correctior
Amurathes territus.
Borussia liberata.
GEDANI
Typis Hünefeldi
Anno. 1643.
H. Lamer. fecit

GLORIOSISSIMO ac INVICTISSIMO

VLADISLAO IV.

REGI POLONIÆ, MAG: DVCI LITHVANIÆ, RUSSIÆ, PRUSSIÆ, MASOVIÆ, SAMOGITIÆ, LIVONIÆ, SMOLENSCIÆ, SEVERIÆ, CZERNIHOVIÆQUE:

NEC NON

SVECORUM, GOTHORUM, VANDALORUMQUE HÆREDITARIO REGI,

Domino suo Clementissimo.

INVICTISSIME, POTENTISSIME REX

AB ultimis Germaniæ oris; qua, facto divortio, Rhenus, in Batavorum Insula, Schenkij monumenta premit: qua medius felices Cliviæ terras secat, &

Intonsus Vahalim bibit Sicamber,

ad Regiæ Majeſtatis veſtræ conſpectum navigo. Inter audaciam tamen & verecundiam medius, ut qui á populo Mercurij Sacris prorſus dedicato, non exoticas à Madagaſcare aut Moluccis merces, ſed Heröica Majeſtatis veſtræ geſta, in Poloniam veho. Sed quæ, malum, iſthæc inſolentia eſt? Ignoſces Sereniſſime Rex: & quicquid hic preſumptionis fuerit, eâdem, qua victis hoſtibus peperciſti, clementia condonabis. Tuum eſt quicquid hic peccatum, Tu cauſam & occaſionem præbuiſti. Inſolentibus enim tuis Victoriis Triumphiſque, omnium ad inſolentiam animos, qua-

quaqua terrarum, commoviſti: adeo ut & virtutes tuas loquatur ultima Thule, quæ olim etiam, cum in flore eſſet Romanum Imperium ignoravit. Et quid mirum? Cœpit hæc victoriarum tuarum fama, à primo adoleſcentiæ tuæ crepuſculo, & continuis tot annorũ triumphis, ad preſentis glorię ſplendorem adolevit. Honori Magno Pompeio fuit, quod de Africa primo & Iarba Rege juvenis & nondum Senator triumpharit: Tu puer adhuc, de habitantibus Aſiæ & Europæ continentem Moſcis, Pompeio Magno ætate minor, gloria maior, triumphaſti; adeo etiam, ut eos, tibi Domino ſuo

ſuo electo, tandem vertere terga cogeres, cum flectere antea docuiſſes. Inde attonitus Orbis duos adoleſcentes, ætate propemodum pares, vix lanugine prima decoros, Te, & Oſmanum Turcarum Imperatorem, ſeptingentis bellatorum millibus, & quaſi generis humani viribus ſubnixum, ad Tyram in Valachia æmulos pugilesque vidit, & anxio in utramque partem Mundo, calcata Othomannici nominis gloria, tot Te virtutibus ſuperiorem oſtendiſti, quot Oſmanidę millibus prævalebant. Et ipſe Oſmanus tandem, cladibus & ignominioſa pace confuſus, ſtolidæ præſumptioni exi-

exitio ſuo parentavit. Nondum Regio Diademate cinctus eras, cum inita armorum ſocietate, fœdifragus á Septentrione Moſcus, à Meridie Turca, Poloniæ latera infeſtarent. Tu in medio poſitus, & erectus tamen ſub quolibet pondere, tunc maxime docuiſti terrarum Orbem, quid poſſet in ſummo periculo ſumma virtus. Et fœdifragos illos á Smoleſci mœnibus, velut una manu abactos, eo tandem deſperationis adegiſti, ut, inaudita ab ullo ſæculo felicitate, univerſus exercitus, qui jam nutu Tuo, aut vivebat, aut moriebatur, ter genu flexo, clementiam Tuam ſollicitaret. Amurathem

them vero Turcarum Imperatorem, ſola (quis credat!) Adventus tui fama ad arbitrium tuũ humiliaſti; cum victricium armorum tuorum fulmen abominaretur. Boruſſia deniq;, cum prælia minareris, ſine ſanguine & velitatione, ab hoſtium manibus vendicata, nominis tui terrorem ipſis littoribus Sueciæ illiſiſti. Adeo ut ſuperiorum Regum, & Magni Vitoldi terminos victoriarum ſupergreſſus, jam, Tua iterum virtute, ſecure Viſtula, Berezina, Tyras, & Boryſthenes navigetur. Majore Tua gloria, quod nulla unquam felicitate corruptus, omnia in circuitu bella, clementia conſum-

màris.

mâris. Sic ut libere gloriari poſſis, quod apud Senecã (*Lib: 1. de clem:*) primo quinquennio ſuo, Nero Cæſar. *In hac tanta facultate rerum non ira me ad iniqua ſupplicia compulit, non juvenilis impetus, non temeritas hominum & contumacia, quæ ſæpe tranquilliſſimis pectoribus quoque patientiam extorſit: non ipſa oſtentandæ per terrores potentiæ dira, ſed frequens magnis imperiis gloria. Conditum, immo conſtrictum apud me ferrum eſt. Summa parſimonia etiam viliſſimi ſanguinis. Nemo non, cui alia deſint, hominis nomine apud me gratioſus eſt. Severitatem abditam, clementiam in promptu habeo.* Et hæc tua ſunt, Glorioſiſsime Rex, in limitibus Aſiæ Europæque geſta, quæ utriuſque terminis neſcia circumſcribi, ad alios vagantur Mundos, & ibi nominis tui gloriam famam-

que ſpargunt, ubi latent potiſsima Chriſtianitatis. Quid ergo? Quæ homines, quia non capiunt, paſsim admirantur, ego nefas non judicavi ſtupere Scripto: ut quæ ſinguli invicem ore referebant, ego calamo loquerer omnibus, & poſteritati cruda proponerem, quæ nunquam bene digerat terrarum Orbis. Quia autem, Invictiſsime Rex, Tua erãt, nec alibi, quem virtute Tua cauſaveras, generis humani ſtupor, niſi in animo Tuo ſolvi poterat, vela feci: ut Regię ſuæ Majeſtati offerrem, quæ ſola

ſola capit, nec admiratur. Pande itaque nunc, Sereniſſime Rex, clementiæ & facilitatis tuæ portum, &, ſicut exotica plerumque ſapiunt, non quia optima, ſed peregrina; ita placeat hic, in honorem Regię Tuæ Majeſtatis, ſuſceptus labor, non quia optimus, ſed peregrinus.

Sacræ Regiæ Tuæ Majeſtatis

humillimus ſervus

Everhardus Waſſenbergius
Embricenſis.

AD

AD CLARISSIMUM VIRUM

EVERHARDUM WASSENBERGIUM

Invictissimi VLADISLAI IV. Poloniæ Sueciæque Regis vitam resq; gestas describentem.

Felicem Macedo præcone ferebat Achillem
Mæonide, tanta dignior ipse tuba.
Te quoque felicem præcone, ego censeo, Regem,
Sarmata quo gaudet, quem Sueonesque timent.
Nec minus ipse tamen felicem prædico te, cum
Suadæ materies obtigit ista tuæ.
Vivite longævi! Scribi à te digna gerat Rex;
Tu Rege à tanto scribito digna geri.

Surgenti ejus famæ applaudens ludebat

M. R. H.

Ad

AD LECTOREM.

N*On sum nescius, humanissime Lector, plurima à gloriosissimo Rege Vladislao IV. gesta, quæ ego non attigi: sed, ingenue fateor, neque cepi. Et quis, rogo, sufficiat omnibus? Extrema quæque & vulgaria scripsi, quæ sic in partes tamen & libros valuerunt. Et hæc intentio mea fuit, quæ de hoc gloriosissimo Rege conceperam, in speculi modum humano generi exhibere: in quibus, sicut in hoc humani corporis lineamenta non animus ipse apparet, externa tantum Regiarum virtutum lineamenta, non intima tamen consiliorū, legenti repræsentarem. Neq; enim fas est. Velle enim privatum in Persona Regia, peregrinum in aliena Republica, videre amplius quam intuitu primo apparet, sacrilegium judico. Relinquo hæc magnis illis in Polonia viris, quos, hoc ævo, plurimos, stylo & doctrina, præ aliis nationibus, excellentes genuit.*

Ne interim deesse aliquid historiæ completæ putes: quantum enim tibi scire (neque enim Consiliariis Reipublicæ Historiam formo) tantundem & mihi scribere licuit. Nec etiā te frontale illud, Panegyricè repræsentans, *terreat. Candidè enim, quæ scripsi, vera existimo; utpote & à gravissimo Senatore Regni perlecta. Sed, mi Lector, delicatum hoc sæculum nosti; cui, ad leniendam invidiam, è viventis gloriosissimi Regis victoriis, & conformi virtutibus ejus elogio, emergentem, hanc voculam tribuere visum est.*

Quan-

Quantum vero ad dispositionem totius operis attinet, ut rei natura poscere videbatur, in duas partes distinxi: quorum altera, tribus libris, Vladislaum Principem:*altera, totidē libris* Regem *repræsentat. Et in prima quidem parte (secundam enim suo loco relinquo) Authoribus fide dignis subnixu, censorem non facile, nisi iniquum, reformido: excepta perplexa illa, de Demetriis, historia, in qua omnes Authores fere, qui istam attigerunt, aut variant, aut vacillant. Ego autem (relictis illis, qui in Polonicam jugiter virtutem & felicitatem obliqui, affectui non parum indulserunt) Sarmatas potius, qui & interfuerunt, & eorum pars magna fuere, sequutus sui.*

In bello Valachico doctissimum virum Johannem Innocentium Petricium, Almæ Universitatis Cracoviensis eloquentiæ Professorem, Cornelium Tacitum, si quis unquam alius, stylo exprimentem, Authorem habui. Cujus elegantissima dictio in eadem nonnunquam verba vel invitum traxit. Sed dabit veniam, hac in parte, gravissimus Author; & placabitur, more Cœlestium, ingenua confessione.

Peregrinationem ex Diario manuscripto, eruditissimi, piæ memoriæ, Adolescentis, Johannis Hagenaw à Mazaunen (qui Alberti Stanislai Radzivillij Ducis Secretarius peregrinationi interfuit, & quicquid toto itinere singulis diebus actum, sedulo annotavit) sumpsi. Quia

Quia autem non integrum in manus meas pervenerat, quicquid in calce desiderabatur, à Casparo Nagot (qui Vladislai Regis, tunc temporis, expensarum Præfectus, in fidelibus ejusdem Regis obsequiis porro consenescit) oretenus hausi; quæ deinde, sicut & illa quæ humana infirmitate, præsertim in obsidione Bredana, in Diario fuerant prætermissa, fideliter addidi.

Licet autem opportunis locis variorum Authorum, quemadmodum in Scena mea feci, sententias interserere potuissem, malui tamen unius Senecæ. Quod enim Cosmographi de Insula Creta respectu Orbis, hoc ego de Seneca respectu aliorum Authorum. Videlicet ut, quæ in aliis regionibus bene, in Creta optime nasci dicuntur; ita, quæ in aliis Authoribus recte, meo judicio, melius in Seneca inveniuntur.

Et hæc sunt, benevole Lector, quæ Te, in hac prima parte, scire volui: atque jam valedicerem, nisi me Illustrissimorum virorum, qui me in hoc opere liberalius animaverunt, beneficia distinerent. Famæ enim meæ interest, ne virtutem illorum, & gratitudinem meam, nesciat terrarum Orbis. Quippe qui abominor eos, qui furtive agunt gratias, & in angulo, & ad aurem. Non est enim ista verecundia, sed inficiandi genus. *Excelluerunt itaque, hac in parte, Casparus & Paulus Dzialinij: quorum ille Culmensis & Po-* *Seneca lib. 2 de benef.*

AD LECTOREM.

Pomesaniæ Episcopus, hic Pomerelliæ Palatinus: Georgius Princeps Ossolinius: & Gerhardus Comes à Dönhoff. Ut sunt enim hi Illustrissimi viri, Zelosissimi nominis & honoris Regij, ita, quicquid in hoc stadio studioque sudabam, benevolentia singulari recreare voluerunt. Macte generosissimi viri, non perdidistis beneficium, quod in Serenissimi Regis gratiam collocastis. Tam diu enim studiorum Mæcenates, tam diu fautores eritis, quam diu in pretio erit gloriosissimi Vladislai Regis gesta cognosci.

Valete, favete.

IN-

INTRODUCTIO AD VLADISLAUM REGEM.

POloni gentium terrarum Orbis liberrimi à Venedis Sclavisq; Originem duxere. Et quamvis sub hisce nominibus, felicia olim in circuitu arma circumtulerint, nequaquam tamen ullo tempore ad hodiernum famæ gloriæq; fastigiũ accessere. Quæ enim ulla gens infantiam suam habuit, ut adolescentiã, adolescentiã vero ut maturitatem? Quis adolescentiæ suæ vigorẽ puer: virile robur adolescens habuit? *Nulla non res principia sua magno gradu transit. Aspice Rhenum, aspice Euphratem, omnes denique inclytos amnes, quid sunt, si illos unde effluunt æstimes? Quicquid est quo timentur, quo nominantur, in processu paraverunt. Principia sua semper sequens magnitudo obruit.* Romanos illos rerum Dominos, si ad incunabula sua reduxeris, ad tectas stipula culmoq; casas, & humilia pastorum tuguria revolveris. Amplissimam Carthaginensiũ aliquando rem ad fontem suum prosequere, bubuli olim corio circumscriptam videbis. Non mirum itaq;, si, quod florentissimis Imperiis, quod passim rebus omnibus contingit, Sauromatis quoque evenisse intuearis. Paulatim, ut quicquid nascitur, crevere. Adeoq; subsequentibus sæculis, sub Polonico nomine feliciores, postquam cum Lithuanis in unam coaluere Rempublicam, Russiam,

Senec. lib 3. de ben.

siam,

ſiam, Pruſſiam, Mazoviam, Samogitiam, Livoniam, Podoliam, Volhyniam, Smolenſciam, Severiam, Czernihoviamque, rara quadam felicitate, ditiones ſibi adjunxere. Quod mirabitur quisquis inſpexerit. Non illis famoſus Chinarum adverſus Tartaros murus. Non maria innumerabiles multitudine avertentia gentes. Nulli ferociſſimorum populorum cohibentes impetum Pirenæi. Nulla Thermopylarum clauſtra. Nec propugnacula quidem (adeo Spartanis generoſiores robori ſuo fidunt) nec munitiones, nec mœnia, nec valla. Sed toto corpore Regnoq; obnoxii, illabatam tamen, quam potiorem omnibus habent, libertatem, ſecuritatem, & in alias gentes imperium, ſola magnitudine animi, fortiq; dextera paravere. Non parum tamen eos in hoc Regum, quos habuere, prudentia, virtus, & fortitudo juverit. Sed hæc ipſa in non modicam eorum laudem revolvuntur. Quia Reges, quos invictiſſimos, inclytos, prudentia, virtute, fortitudine, præſtantiſſimos habuerunt, ipſi elegerunt; non electuri, niſi tot Heroas, quot Reges voluiſſent. Nunc autem tot Heroas, quot Reges numerant, cum nō niſi omni virtutum genere abſolutiſſimos, qui plane viris imperarent, elegerint. In hoc naturam ſecuti: *Naturæ enim eſt, potioribus deteriora ſubmittere. Mutis quidem gregibus aut maxima corpora præſunt, aut vehementiſſima.* Senec: Epiſt: 90.

Non

Non præcedit armenta degener taurus, ſed qui magnitudine ac toris cæteros mares vicit. Elephantorum gregem excelſiſſimus ducit. Inter homines pro ſummo eſt optimus. Et, de aureo ſæculo loquens Stoicus, pergit dicere. *Animo itaq; rector eligebatur. Ideoque ſumma felicitas erat gentium, in quibus non poterat potentior eſſe niſi melior.* Ita Poloni aurei ſæculi mores ſecuti, ut melioribus ſemper ſua colla ſubmitterent, ſub quibus provincias jugiter & Regna ſubjicerent, eos, ut rem rariſſimam, & in ſua Polonia, & in Tranſylvania, & in Gallia, & toto terrarum Orbe quæſierunt. Et quamvis ſemper bene, nunquā tamen quam in Jagellonica, et, quæ ex hac, Suecica familia feliciores. Quæ enim & qualia ſub Sigiſmundo III. Catharina Jagellonia, Sigiſmundi Primi filia genito, non fuere tentata & feliciſſime conſummata! Elegantiſſimi viri Innocentii Petricii verbis utar. *Hoc Polonorum Rege Hieremias & Simeon Principes Valachorum, oblato vectigali, in tutelam accepti. Exutus Roſuana Tranſyluanornm Dux exercitu, paloq; ſuffixus. Livonia armis vindicata. Aditæ & fractæ, longinquitate ſecretæ, ac pene incognitæ gentes. Smolenſcum Civitas, à Moſcis ultra centum annos, non bello ſed proditione noſtris erepta, ædificijs aucta, & validiſſimo ingentis arcis præſidio munita, obſidione bienni, ab ipſo vaſtata, & in poteſtatem redacta. Tota Moſcovia victorijs peragrata: & captus* Hiſt. rerū in Polon. geſtar.

 ptus

ptus Imperator Basilius Szuiscius, cum Johanne & Demetrio fratribus, ante ejus solium procubuit. Severia & Czernichovia, Moscorum Provinciæ, à Vladislao filio, Paterno jussu exemploq́; Imperij nostri jugum acceperunt. Quin ejusdem Regis auspicio & fortuna, vastata à Cosacis Turcarum Achilles, Techinia Kozlovia, Belgradum, Theodosia, Trapezuntium: & super alia insignium Urbium excidia, Synopis caput & Regia Ponti, dum tempus mercatus, ditem alioquin Urbem, majorum opum specie compleverat, gravi ruina concidit. Jam Præcopum expugnatum. Sed & mare tentatum; in quo Ciculæ Bassæ filius victus, & occisus. Alter item Bassa, Classe victa, captus, & in vinculis mortuus. Territa Constantinopolis subitis armis, suburbiorum incendijs: incussaq́; sæpius Turcis Polonorum reverentia. Et hic est ille Sigismundus, sub quo hæc gesta sunt, hujus gloriosissimi Vladislai IV. Parens. Hic ille Philippus, qui Magnum hunc Alexandrum genuit. Cujus virtute cum Poloni in immensum creverint, & nominis sui fama, Terrarum Orbem impleverint, ominosam magnitudinem ejus, ab ipso vitæ exordio, deducamus.

GESTO-

GESTORVM *GLORIOSISSIMI ac INVICTISSIMI* VLADISLAI IV. PARTIS PRIMÆ, LIBER PRIMVS.

CAPVT PRIMVM.

ARGUMENTUM.

Vladislai IV. nativitas & pueritia.

SUMMARIUM.

Omina magnitudinem VLADISLAI IV. *antequam nasceretur, insinuantia. Ejus nativitas, puerilis instructio, & præcox ingenium.*

V*ides illum Sarmatiæ Regem*, inquit Romanus Philosophus, *insigni capitis decorum? si vis illum æstimare, totumq́; scire qualis sit, fasciam solve.* Faciam hoc ejus consilio satis, & non fasciam tantum, sed & vestimenta, & corpus ipsum solvam, & quantum per ingenii quidem, perspicaciæ, & mediocritatis meæ modulos licebit, in ani- *Senec. Ep. 80.*

A mum

mum ipſum me inſinuabo, luſtraturus alieno ſic an ſuo magnus. Itaque licet ille maximus Sarmatiæ Regum VLADISLAUS IV. Paterno genere, Regiis, Jagellonica Sueticaq; familiis; materno Auguſtiſsima Domo Auſtriaca, Vitam, Sangvinem, & generoſiſsimi animi domiciliũ traxerit, tamen quia naturæ hoc magis beneficium, quam virtutis opus, ad omina, veram nobilitatem ejus & rerum geſtarũ magnitudinem vaticinantia, venio. Quemadmodum enim Cyri, Alexandri Magni, & aliorum rariſsimæ felicitatis Regum eminentiam, antequam ederet, ſignis natura prodidit; ita glorioſiſsimus hic VLADISLAUS Rex, adhuc in utero materno latens, hiſce non caruit. Cum enim Regina mater Anna Auſtriaca, Caroli Archiducis filia, ſacratiſsimi Ferdinandi II. Romanorum Imperatoris ſoror, ab Inviſiſsimo, glorioſæ memoriæ, SIGISMUNDO III. concepiſſet, toto conceptionis tempore, inſolita quadam majeſtate vultus, grandius aliquid utero bajulare, omnibus videbatur. Adeoque & Stanislaus Radzieiowski Palatinus poſtea Lencicienſis, & Maximilianus Przerębski Caſtellanus deinde Siradienſis (quibus jam animus præſagiebat, illam Sarmatiæ lumen, totiusq; Reipublicæ Chriſtianæ decus alvo continere) abactis ſtipatoribus Regiis & Doryphoris, aut ali-

Omina futura magnitudinis.

alienigenis illis, quibus in more erat gravidam Reginam portare, id quicquid erat oneris, in ſperatæ Polonicæ felicitatis gratiam, ipſi ſubiere. Inde cum Anno 1595. jam tempus partus adeſſet non ante Regina Mater, quam 9. Junij, in feſto Sanctorum Martyrum Primi & Feliciani enixa eſt. Quod à ſummis prudentiſsimisq; viris in non vanum quoq; omen acceptum, quaſi infans modo genitus primus omnium Sarmatiæ Regum eſſet felicitate futurus. Aderant quoque ipſi Infanti aptiſsima humani corporis lineamenta, quod magnæ indolis ſignum Ariſtoteles judicavit. Nec in vanum. Vt primum enim, pulſa infantili caligine, ratio uſum ſibi vendicavit, generoſa pluries quam puerilia loquebatur, & in eum paulatim creſcebat, qui ominoſæ nativitati, & ſperatæ magnitudini correſponderet.

Vladislai IV. nativitas Anno 1595. 9. Iun.

Congratulabatur interim ſibi SIGISMUNDUS Pater, & tacito fortunam ſenſu adorans, diſpoſuit illi viros doctiſsimos, quaſi domeſticum magiſtratum, ſub quorum cuſtodia contineretur, & quorum prudentia inſtrueretur, *Nulla quippe res magis animos honeſta induit, quam bonorum virorum converſatio. Paulatim enim deſcendit in pectora: & vim præceptorum obtinet, frequenter audiri, aſpici frequenter. Occurſus mehercule ipſe ſapientium juvat:* &

Ejus puerilis inſtructio.

Senec. Ep. 94.

& eſt aliquid, quod ex magno viro vel tacente profi-cias. Nec tibi facile dixerim quemadmodum proſit, ſicut illud intelligam profuiſſe. Minuta quædam, vt ait Phædon, animalia, cum mordent non ſentiuntur: adeo tenuis illis, & fallens in periculum vis eſt. tumor indicat morſum, & in ipſo tumore nullum vulnus appa-ret. Idem tibi in converſatione virorum ſapientum eveniet. non deprehendes quemadmodum aut quan-do tibi proſit; profuiſſe deprehendes. Quemadmo-dum enim qui in ſolem ſæpius venerit colorabi-tur, qui in vnguentaria taberna reſederit, & ali-quamdiu commoratus fuerit, odorem loci ſecum adducit: ita qui cum ſapientibus viris converſati fuerint, trahant aliquid neceſſe eſt quod proſit in poſterum. Præſertim cum hoc virtutes pariter & vitia habeant, quod in proximum quemque tranſiliant, & contactu ipſo proſint aut noceant. Sen. lib. 2 de ira. Hinc, alio loco Sapiens Latinus. *Proximis applica-tur omne quod tenerum eſt, & in eorum ſimilitudinem creſcit. nutricum & pædagogorũ retulere mox in ado-leſcentia mores.* At an ille tantum? conſulamus Horologium Principum. *Quales Magiſtri ſunt quos habemus, & præcepta, quæ audimus; tales & ſcientiæ ſunt, quas diſcimus, & actiones quas exercemus.* Aderat quoque efficax in exemplum abſolutiſſimus Ge-nitor, in cujus quodammodo facie, Religio, Tem-

perantia, Fortitudo, Modeſtia, & Regiæ virtutes omnes legebantur. In hujus aula, ſub hujus ocu-lis Vladiſlaus creſcebat. Quid ergo? *Prodeſt ſine* Sen. Ep. 25. *dubio,* inquit Anneus, *cuſtodem ſibi impoſuiſſe, & ha-bere quem reſpicias, quem intereſſe cogitationibus tuis judices.* Colligebat quippe juſtiſſimos paulatim Regiarum virtutum Catalogos: & Religionem, temperantiam, modeſtiam, fortitudinẽ, & quaſq; digniſſimas integerrimo Principe dotes, quia à domeſtico magiſtratu didicerat, quia in optimo parente viderat, in crepundiis æmulabatur. Quã feliciter, tum demum videbimus, cum exeren-tem & exercentem paulatim ſe Principem, per Heroica gradientem veſtigia, hiſce cum fœnore multo virtutibus, ad regium vſque faſtigium de-ducemus. Non poterant enim non germinare fe-liciter, quę in tempore ſparſa, feliciſſimo ſolo cre-dita, in vberrimos fructus optime digerebantur. Habent enim ingenia quiddam cum ſemine ſi-mile, quod (vt Stoici ſimilitudine vtar) *cum occu-* Sen. Ep. 8. *pavit idoneum locum, vires ſuas explicat, & ex mini-mo in maximos actus diffunditur. Idem facit ratio: non latè patet, ſi aſpicias: in opere ipſo creſcit. Pauca ſunt quæ dicuntur: ſed ſi illa animus bene exceperit, convaleſcunt & exurgunt. Eadem, inquam, præce-ptorum conditio, quæ ſeminum. Multum efficiunt, etſi*

angusta sunt: tantum, vt dixi, idonea mens rapiat illa, & in se trahat. Multum invicem & ipsa generabit, & plus reddet quam acceperit.

Variis linguis instruitur, & ejus præcox ingenium. Inde capacior disciplinarum, iisdem, quibus excellebat Sigismundus parens, Latina, Italica, Germanica, Polonica, linguis instruebatur: & quia felix illi ingenium erat, salutaria omnia quasi in transitu rapuit. *Nam ut Dij Immortales*, Senecæ *Ep. 95.* verba sunt, *nullam didicere virtutem cum omni editi, & pars naturæ eorum est, esse bonos: ita quidam ex hominibus, egregiam sortiti indolem, in ea quæ tradi solent, perveniunt sine longo magisterio, & honesta complexi sunt, cum primum audierunt.* Verum enimvero hæc naturæ indulgentia, sive insolentia potius, magis omnino admirabilis est, cum insolentiam rerum omnium pariter videamus. Immo Fortuna ipsa, quæ prosequi non nisi adultiores consvevit, non vano omine abblandiens puero, cæpit fortissimum æq; ac felicissimum futurum aliquando Regem, adhuc Principi in ætate tenera abblandiri; & mox vastissimum illi imperium contulit, cum ante ætatem posse sufficere judicaretur. Sed insolentiam hanc fortunæ, & occasionem expeditionis primæ videamus.

CAPVT

CAPVT SECVNDVM.

ARGUMENTVM.

Vladislaus IV. in Magnum Moscoviæ Ducem eligitur; & ejus, ob Moscovitarum, alium Ducem eligentium, levitatem, expeditio prima.

SVMMARIVM.

Moscovia Tartaris aliquando fœdè tributaria, sub Iohanne Basilide in maximam potentiam crevit. Hujus filius junior Demetrius, *à Borissio jussus interfici, arte matris evadit: sed filius alter Theodorus, qui Basilidi Patri successerat, ab eodem Borissio veneno necatur. Post cujus obitum Borissius in Magnum Moscoviæ Ducem eligitur, & aliquot annis imperat. Interim Demetrius adolescens, Polonorum ope paternum Regnum recuperat, Borissio consternatione mortuo. Mox Demetrius à Szuiscio interficitur, qui in Magnum Moscoviæ Ducem deinde electus Poloniæ Regis legatos captivos detinet. Demetrius suppostititius exoritur; quo Moscoviam devastante, Sigismundus Rex Poloniæ, ob legatos suos vltra bienniũ detentos, Smolenscum obsidet: ab Hoc Zolkevius in penitiorem Moscoviam missus, Moscos & Svecos cedit. Lissovius quoq;, ab eodem Sigismundo Rege missus, latè Mo-*

Moscoviam vastat. Quare, Demetrio suppositítio circa Moscuam vrbem etiam tumultuante, Szuiscius rogatus deponit imperium: quo in monasterium secedente, Zolkevius Moscuam vrbem, dum à Demetrio suppositio oppugnatur, occupat & defendit. Hinc Moscoviæ Senatores Vladislaum in Magnum Moscoviæ Ducem eligunt. Smolenscum expugnatur, & Szuiscius cum fratribus in Poloniam abducitur. Moscovitæ à Vladislao desciscunt & Michaelem Fedrowicz in Magnum Moscoviæ Ducem eligunt: Moscuam Vrbem recuperant, & Smolenscum obsident: sed Polonis, Magnis viribus Moscoviam ingredientibus, Mosci obsidionem solvunt. Vladislaus à Patre missus Severiam Czernihoviamq; Provincias subjugat, & Moscos in angustias cogit. Quare Mosci supplices pacem petunt, quibus Poloni, etiam victoriis & bello fessi, quatuordecim annorum inducias, tandem concedunt.

MOscovia Russiæ Provincia est, quæ, devolutis ad ejus Principem Ducatibus cæteris, ad præsentis Imperii Majestatem ascendit; Tartaris alias, paulo ante, tam fœda servitute obnoxia, vt, advenientibus Tartarorum legatis in equis, Magni Moscoviæ Duces pedes obviam irent, & bibentibus, more illis gentibus consueto, lac equinum Tartaris, decadentes forte in jubam guttas Magni

Magni Duces ore lingerent, quin imo stantes aperto capite, sedentibus legatis Tartarorum, jussa audirent. Sed fœdam hanc servitutem, Basilius, istius famosi Iohannis Basilidis parens, fortiter à se rejecit, & Magnorum Moscoviæ Ducum libertatem armis procuravit. Iohannes Basilides inde in immensum Moscorum imperium ditionibus auxit, & nō solum vicinum Czeremissis Casanense, & ad Caspium vsque mare, Albanos, et confinia Persiæ Astrachanense, Regna, Tartaris vice versa eripuit, sed ad Balthicum mare Livoniam quoq; sub jugavit: tam absoluti Imperij Monarcha, vt jure de illo ingeniosus aliquis Vates, hos, in persona Tyranni, versus scripserit. *Maxima Mosco- rum potentia s.b Iohanne Basilide.*

Russorum Rex & Dominus sum jure paterni
Sanguinis: imperij titulos à nemine, quavis
Mercatus prece, vel pretio: nec legibus vllis,
Subditus alterius. Sed Christo credulus uni,
Emendicatos alijs aspernor honores.

Sed formidabilis illa etiam Turcis potentia, à nulla sępius gente, quam Polona accisa est, ad hostium vsque desperationem victrix: nam sub inclyto Stephano Rege & Livoniam totam extorsit, et, cum ditionibus aliis, Polotiam Lithuaniæ reddidit.

Verum-enimvero (vt ad propositum veniamus) post huius famosi Basilidis obitum, Theodorus *post Basilidis obi-*

tū Theodorus filius imperat. dorus filius imperavit, qui Boriſſium (quem Hodunum alii vocant) nobilitatis antiquæ virum, purpuratorum Principem legit, in ſuam ipſius, & familiæ ſuæ ruinam. Erat quippe Boriſſius, litterarum quidem ignarus, ſed juncta comitati aſtutia plebi charus ſimul & venerandus; & qui crudelia nomine Principis machinaretur, quibus deinde palam interventu ſuo diſcuſſis, invidiam, odium, execrationes Principi, ſibi favorem & clementiæ

Boriſſius Theodoro & Demetrio fratri ejus inſidiatur. laudem conciliaret. Et addebat gratiæ quod ſororem Boriſſij duxiſſet Theodorus vxorem. Cum videret itaque technas ſuas ad intentum adoleviſſe, Demetrium vnicum Theodori fratrem, et tandem Theodorum ipſum, aut ferro, aut veneno, tollere ſtatuit. Quod facile ipſi efficere, cum ipſius arbitrio prope omnia agerentur, & fratrum juvenculus alter, alter, qui et imperabat, fanaticus, & vel ipſius Baſilidis parentis judicio, tintinabulis per templa pulſandis aptior, quam Imperio videretur. Actum erat de vaſtiſſimo prope terrarum Orbis imperio. Sed comprehendit Deus ſapientes in aſtutia ſua, & quem primo & maxime ſublatum volebat, juvenculum Monarchæ fratrem Demetrium, ad tollendum tandem Boriſſium reſervavit: tanto cum eiusdem Tyranni ludibrio, vt interfectum lætaretur, qui in perniciem eius vivebat. Quippe Boriſſii

Boriſſii in Demetrium technas ſollicita Principum Mater advertit, & conſilio omnino ſalubri, filiolum ſuum periculo maturè ſubduxit. Cum enim ſicarii ad necem Principis properarent, puerum qui Demetrium ætate & ore referret, in ipſius, callidè, ſtrato locavit: quem immiſſi percuſſores (qui minus eum, centum à Moſcua Urbe, ad Vielikam, milliaribus educatum, noverant) ibidem pro vero Demetrio jugulavere: fama deinde aſtu Boriſſii ſparſa, peſte Demetrium periiſſe, qui in exitium tamen ejus creſcebat. Boriſſius interim de Demetrio porrò ſecurus, jam quoque paulatim Theodoro Monarchæ imminebat: quem deinde, Annos 36. natum (ut communis fama eſt) veneno ſuſtulit: hoc quoque ei indulgente fortuna, quod Theodorus Gerniam, conjugem ſuam, ſororem vero Boriſſii, provinciarum omnium adminiſtratricem teſtamento ſcripſiſſet. *Demetrius evadit.* *Theodorus veneno perit Anno 1698.*

Itaque Gernia mox, Boriſſii ſuaſu, in monaſterium ſacrarum Virginum, extra arcem, intra tamen adhuc Moſcuæ muros, ſeceſſit: experimentum factura, quid de ipſa & Boriſſio fratre Moſcovia univerſa ſentiret. Quid itaque? Monaſticam, Mundi tædio, profiteri ſe ſimulans, adminiſtrationem imperii, in Cneſios Boriarioſque *Boriſſius in Magnū Ducē eligitur.*

(ſenatus hic & nobilitas gentis eſt) omnino rejiciens. Populus, fucata jugiter Boriſſii comitate demulſus, ad Gerniam properat, & obſervans ſacrarum Virginum ſepta, lamentabili Gerniam voce precatur, ne ſe tempore tam periculoſo deſerat; Cneſiorum quippe & Boiariorum ſuperbiam averſati, & ſi quid ſequioris ſexus prudentiæ deſit, eſſe Boriſſium fratrem, Theodori Imperatoris ſui ſocerum, cuicunq; oneri parē: tuto huic imperii graviora committi poſſe. Gernia tergiverſari, inſtare populus univerſus: nec illam, nec penetralia virginum relicturus, niſi æquiſſimis, ut putabant, poſtulatis ſatisfieret. Jamque res, ultra tumultum, prope ſeditionem erat, cum Boriſſius foras venit, & aptis tempori verbis, fluctuantes, ad malaciam animos revocavit: nec ſe à petitis illorum omnino alienum oſtendit, dummodo Cneſii & Boiarii in partem ſollicitudinis veniant. Et ſic quidem tunc ad pauculos dies induciæ. Cum vero interim Regina, omni ſæcularium rerum cura à ſe abdicata, monaſticam verè profiteretur, & pro Gernia Alexandrinæ nomen aſſumeret, tum populus magis moveri, & Baſilio Galo Calfio Cancellario Regni, convocanti ſe & hortanti, ut Gneſiis Boiariisque fidem obſtringeret, in faciem reſtitit, & concordibus

votis Boriſſium Reginæ fratrem, Principatu digniſſimum nominat: hunc eſſe cui fidem addicere paratiſſimus ſit. Boriſſius, qui præſens erat, ad honorificas de ſe voces exurgens, modeſte ſe excuſat, ignoſci mediocritati ſuæ petit, & (quo deſiderium populi irritaret, & Cneſiorum Boiariorumque invidiam effugeret) in vicinum primo templum, mox, à populo vociferante retractus, inter excuſationes ſubdolas, in monaſterium virginum integrum cum ſorore menſem ſe abdidit. Augetur conatus populi, cui reſiſtitur; & creſcit, qui irritatur, affectus. Totius itaque menſis ſpatio, undique fugam metuens, clauſtrum obſidet, & ſororis interim Reginæ, & ipſius Boriſſii oportunis, importunis vocibus aures pulſat. Et Boriſſii quidem, ut admitti ſe ad gubernacula Regni patiatur, & imperii faſciam, diadema, & inſigne capeſſat: Reginæ, quatenus apud meritiſſimum de ſe fratrem preces ſuas interponat, tandemque perſuadeat, quas millies mereatur, faſces admittere. Ille ſumpta modeſtiæ larva, tanto confidentius renuit, quanto ferventius petebatur, & ſubdolè, quibus appetebat imperium, modis, negat: Hæc autem expugnari ſe tandem paſſa eſt; & hujus precibus & interventu, paulatim ille. Cum enim jam temporis mora, quodammodo detrito

livore, matura omnia viderentur, Cnesiis plerisque Boiariisque, ob vulgi pertinatiam, consentientibus, populo cum sorore se sistit, & tandem Russiæ & Moscoviæ Imperatorem, Casanensium, Astrachanensiumq; Regem, & variarum Regionum Principem, à voti compote populo, salutari se passus est. Inde festivi ignes, & inter millia tintinabulorum, gratulatoriæ voces exceptæ: & addebat confirmationi regiminis, quod Tartaros Crimenses, interregni tempore provinciam ingressos, coactis mox centum, vel, ut alii volunt, trecentis armatorum millibus, multis velitationibus secundis, retro ageret. Itaque ea fallacia, iis artibus, dolisque, Borissius, sive Hodunus, imperium Moscoviticum, fasces, & diadema, invasit, ut invasisse jure videretur.

Demetrius in Livonia liberalibus studiis operam dat.

Interim autem in ejusdem imperii spem Demetrius adolescebat, & victo paulatim duro Moscovitarum genio, laudabilem civiliorum Europæ gentium humanitatem induebat. Adeoque & in Livonia liberalibus imbutus studiis, & loqui eleganter latinè, & scribere didicit. Et poterat hoc septem annorum spatio, quo Borissius imperavit. At jam, adulta, cum ætate, regnandi libidine, vindicias familiæ suæ, & universæ Moscoviæ, in uno Borissio meditabatur. Sed *vana erat*, quod dicitur,

citur, *sine viribus ira*. Quemadmodum regia vitis, sine sustentaculo, prona fatigat humum, sustentaculis autem erecta, maturescit citius, mage fructifera est, & viridantibus deinde foliis, suaveolentibus quoque botris, & aliis gratiarum generibus, ipsa sui sustentacula recreat; ita Regiæ familiæ Principem, flexum à fortuna deorsum, sublevamine & auxilio, citius ad consequendi imperii maturitatem, & fructus confidentiæ suæ convenientes progenerandos, indigere videbat; quod deinde, gratitudinis ergo, viridi semper affectu, & multi-granis gratiarum botris, reficeret, & prosequeretur. Quid itaque? Polonia in facie erat, formidabile jam olim Moscoviæ suæ regnum, & ad intentum magnanimi adolescentis potentissimum: nec dubium erat hanc ipsam sollicitare, dummodo saltem desolato fides adhiberetur. Tentandum duxit. Cum esset ergo à catholica fide non alienus, potentibus in Polonia Societatis Jesu Patribus, primo personam suam aperit, & quod felix faustumque, fidem invenit. Præsertim cum altero breviore brachio, & verruca in facie notabilis esset, quæ in vero Demetrio fuisse, nemo erat qui inficiaretur. Adhæc ingenio acri, præsentia animi liberalitate, comitate, non indignum se regali prosapia proponebat. Additum efficax quoque, à

Patribus Societatis in Polonia se aperit.

que, à prudenti adoleſcente promiſſum: fore, ſi patrium recuperaſſet imperium, cultus divini maximam rationem haberet, & Moſcoviam, ad Eccleſiæ Catholicæ unionem, univerſam adduceret. Non ſpernenda viſa conditio. Itaque res tecta primum, monitoq; Romano Pontifice (ad quem & Demetrius ipſe literas non inelegantes ſua manu latinas ſcripſerat) commedatitias ad Poloniæ Regem & proceres impetravit. Primum ad potentem in Regno Sendomirienſem Palatinū Georgium Mniſcum, ſupplex introducitur, ſpe clam facta, ut, ſi voti compos fieret, ipſius, in quam oculos cōjecerat, filiam uxorem duceret. Igitur à Sendomirienſi & genero ipſius Viſnovizcio, ad Sigiſmundum III. Poloniæ Regem introducitur, & quod ſummū votorum erat, legitimus Moſcoviæ hæres apparuit. Et, ut habent hoc deſolati principes, quod miſericordiam facile ſui ſimilium excitent, dignus auxilio viſus eſt: præſertim cum res tota in non modicū Eccleſiæ (cujus Sigiſmundus ſtudioſiſſimus erat) & Regni ipſius commodum vergeret. Itaque Polonia tota delectus, & Sendomirienſi Palatino large pecunias ſubminiſtrant: brevi temporis ſpatio, decem milliū coadunatus exercitus. Additus neceſſarius belli apparatus, et promiſſis invitata Coſacorū itidem decem millia.

Ad Sigismundum III. introducitur.

Polonorum ope Regnum recuperat.

Hoc

Hoc exercitu Boryſthenem ſuperat: & ad Czernichoviam prima proſperitas, cum Urbs ipſa, præſentiam hæredis adorans, ipſius partes ultro ſequeretur. Altera ad Putiwlam fuit; cum ſub Michelovitzio Soltokevio, præſidium octo Volochdenſium Coſacorum millium, ad Demetrium cum ipſa acie tranſiret. Inde ad Novogardiam primum belli fulmen: ibi aciebus inſtructis acerrime dimicatum. Sed Boriſſio, centum millium exercitu, numero prævalente, Demetrius damnum tulit: Sed non, niſi ut irritaretur. Mox enim, cum ad Rilſcum arcem ſe recepiſſet, & Boriſſiani, victoria feroces, petulantius inſultarent, aciem inſtruit: & miro fortunæ ludibrio, victus antea, equitatum victorum concidit, peditatum internecione delevit. Hoc alterum belli fulmen: quod mox quinque vicinas arces, & inter illas Bialogrodam, centum quinquaginta majoribus machinis munitam, cum univerſa Severia, ad Demetrium traxit.

Sub hæc ſcriptæ à Demetrio ad Boriſſium monitoriales litteræ: ſe reſpiceret legitimum Regni hæredem, & imperio, quod injuſte invaſerat, mature cederet. De cætero, oblatis familiæ, & ipſi conditionibus optimis, quod vellet monaſterium ingrederetur. Has litteras cum in

Borißii mors an. 1605. exeunte Apr.

 præ-

pręſentia, obliquorum Polonicę Reipublicæ Legatorum, Danię Suecięq; legeret, excandeſcens ſubito corruit,& magna vi ſanguinis,per os, nares, & auriculas fuſa, pariter animam exhalavit.

Interim Cromo arci, (quam elata prima victoria pars exercitus Boriſsiani obſederat) ſubvenire placuit. Et ibi ab initio acriter certatum: ſed ad Demetrium, cum exercitus parte, Petro Buſmanio, à Boriſsianis tranſeūte, abſoluta mox victoria Demetrius potitur. Septuaginta in caſtris machinę repertę, & tam vaſtę magnitudinis aliquę,ut ſingulas bini viri brachiis circumdatas, vix complecterentur. Ut ergo in caſtris, ſic et Moſcuę ſecuta animorum mutatio. Et jam ad Demetrii nomen exultante populo, uxor Boriſsii vidua, cum filiolo ſuo et filia [poſt mortem *Boriſsii*, ne et illi ludibrium deeſſet, in mariti ſolium, paulo ante collocata] jam, ab eodem, in cuſtodiam traditur. Mater, Demetrii adventum metuens, lethale poculum hauſit, et liberis propinavit. Quo illa quidem et filius periit, ſed filiola, contraria ſtatim potione ſumpta, ſupervixit.

Uxoris Boriſsii & filii interitus.

*B*iduo poſt ſolutam Cromi obſidionem, magno Procerum conſenſu, Demetrius Moſcuam petiturus, viam ingreditur, undique per vias occur-

occurrente, ad novi Principis ſpectaculum, multitudine. Ac tandem, viceſimis caſtris, ſumma magnificentia, Regiam Urbem ingreſſus eſt. Et mox, feſta omnium acclamatione, Ruſſorum Imperator, Magnus Moſcoviæ *Dux*, plurium Regionum Princeps, & Aſtrachani Caſanique Rex, ſalutatur. Denique, ad occaſum vergente Auguſto, honorificentiſſime accerſita Matre (quæ procul à Metropoli, ad exiguum monaſterium, à *B*oriſſio, ablegata fuerat) illi pedes obviam ivit. Et illa præſente ſolitis ſolennibusque Ceremoniis, mauguratus eſt: Cui Nicolaus Cnemicovius, Societatis Jeſu Pater, luculenta & elegantiſsima Oratione congratulabatur.

Demetrius Moſcoviæ Dux.

Secura, ut videbatur, pace domi foriſque parta, proxima, de bene meritis Polonis rependenda gratia, cura fuit. Itaq; trecentorum equitum, ſub Theſaurario Regni, Athanaſio Roſclovio, ad Sigiſmundum Regem decreta legatio eſt. Tum publicæ actæ, pro auxilio, gratiæ: deſponſata Demetrio Marina, *G*eorgii Mniſzek Sendomirienſis Palatini filia: & fiduciariæ mox Cracoviæ contractę nuptiæ, pręeunte in verba, *B*ernardo Maczieiowſcio Cracovienſi Epiſcopo Cardinale. A Palatino deinde, Rex, Sponſa, Legatus Moſcicus, & Perſarum Regis, qui tunc ad-

Legatus Demetrii in Poloniam, & fiduciariæ nuptiæ, cum Sendomirienſis Palatini filia.

 erat,

erat, Nuncius, convivio excepti: & dona, à Demetrio, Sponsæ, ac Parenti ejus missa, (quę ducenta aureorum millia excessisse feruntur) tradebantur.

Demetrius apud suos male audit, & tandē in ipsum cōjuratio.

Ac in summo nunc erat & præcipitio Demetriana felicitas: & verissimum tandem apparuit, quod Anneus, *Nulli fere & magna bona, & diuturna contingunt: Non durat, nec ad ultimum exit, nisi lenta felicitas.* Hęc ipsa, qua benefactoribus suis Polonis gratificari volebat, benevolentia in exitium cessit, & pręfervido prurientis voluntatis desiderio, se fortunamque suam, in exitium miser juvenis precipitavit. Quantum enim Polonis benemeritis tribuebat, tantum apud Russos odii colligebat. Pręsertim cū septuaginta familiæ nobiles, aut sanguine *Borissium*, aut favore contingentes, extra Imperium deportatæ essent, ut eorum (sicut fama, vel invida, vel maligna sparserat) bona extraneis, & hęreditariis quodammodo Moscoviæ hostibus, Polonis distribuerentur; adeoq; novorum hominum, in Russiam, coloniæ introducerentur. Accendebat sinistros sermones, *Basilius* Szuiscius, ni fallor, illius Johannis Szuiscii Plescoviensis olim Pręfecti, cum à Stephano Rege, & Johanne Samoscio oppugnaretur, frater. Hic belli paulo ante,

De Cons: ad Mar:

sub *Borissio*, Generalis; cum aliis, post *Borissii* mortem, fortunam Demetrii quoq; respexerat. Sed novi mox iterum Imperii pertæsus, cum omnes in adulationem effusi, ad pedes Imperatoris novi procideren, pertinaciam, spreto periculo, solus servavit. Insuper insigni contumelia Magnum Ducem traducens, advenam eum et terræ filium (quod talibus circumstantiis gravissimum erat) nominare solebat. Itaq; crimine Lęsæ Majestatis damnatus, cum ad supplicium duceretur, & jam jam carnificis ictum exspectaret, mira Demetrii Imperatoris clementia, et vitam, et dignitatem pristinam recuperavit. Sed, ingrato quod feceris, perdidisti. Quippe Szuiscius, Scharabęi instar, Demetrium, à quo vitam acceperat, pungere non desinebat. Et post beneficium pejor & audacior factus, cum pluribus aliis, in Demetrii, qui ipsi Spiritum dederat, necem conjuravit. Et, quod amplius, parricidii satelles & latro, pręmium sperabat, Imperium Domini. Ne vero putes sanguinem tantum sitiisse, divitias pariter anhelabant, et adventantis Sponsæ gazam pręstolabantur: quasi ejusdem sceleris esset, parricidam simul et raptorem esse.

Demetrius cum Sedomi...

Et jam Sendomiriensis Palatinus, cum filia Sponsa, & numerosa nobilitate Polonica, Craco-

rienſis Palatini filia nuptias celebrat.

via & à Sigiſmundo Rege diſceſſerat. Sed lentè progrediebatur, quaſi non omnia proſpera ominaretur. Ut longinquitatem tamen itineris colligas: cum exeunte Januario abire cœpiſſent, non niſi Majo menſe Moſcuam pervenere. Ibi diebus aliquot quiete conſumptis, tandem de ſolennibus cogitari cæptum. Et jam ad magnificentiam comparatis omnibus, ipſo illo menſe Majo, in Palatio Regio, verba faciente Ruſſorum Patriarcha, Sacris matrimonii vinculis, Demetrius & Marina, conſtricti ſunt. Ut autem Imperator quoque Imperatrice frueretur, à Palatio ad Templum, Attalicis veſtitum aulæis, eodem magnificentiæ tenore migratum eſt. Ibi aurea corona tempora redimita, Ruſſorum Imperatrix, Magna Moſcoviæ Dux, variarum Regionũ Princeps, Aſtrachanenſium, Caſanenſiumque Regina, more ſolito, ſalutata eſt. Veſpera deinde illa & nox Hymenœo pariter Comoque dicata.

A Szuiſcio, & conjuratis occiditur. Anno 1606. 16. Kal: Januarii.

Dum autem ſequentes dies, haſtiludiis, ludicris, tormentorũ fragoribus, & ſimilibus aliis lætitiæ argumentis conſumuntur, interim cum conjuratis Szuiſcius, Tragædiam ſuam inſtruit. Et eo confidentius, quod paulo ante, adductorum ex Polonia ſecum Germanorum ſatellites, Ruſſis gratificari volens, Demetrius dimiſiſſet.

Itaq;

Itaq; Sabbatum, quod in 16. Kalendas Junias incidebat, cœdi deſtinatum: ipſo etiam Demetrio harum rerum penitus non ignaro. Qui jam ab aliquot retro ſeptimanis, ut ſibi caveret monitus, quod Germanos ſatellites tam leviter dimiſiſſet, ſerio dolebat. Hinc ſubitarias aliquot, è Livonibus, Gallis, Anglis, Scotis, Poloniſque cohortes conſcripſit: ſed hoc imminentis fati erat leve ſolatium. Szuiſcius enim cum conjuratis jam ſummo mane aderat, fama interim per Urbem ſparſa, Polonos in armis eſſe, & ad internecionem Ruſſos delere conſtituiſſe. Itaque ab omni parte tumultus: & aliis ad prædam, aliis ad Polonorum cædem diſcurrentibus, Szuiſcius cum ſuis in Demetrium vertitur, ſub id majus tintinnabulum, in incendii ſignum, pulſari imperans, ut Demetrius excitaretur, et, quod hoc caſu ſolebat, extra conclave procurreret. Excitatus Demetrius, cum ſatellites fugiſſe adverteret, & majus aliquod, quam incendii, periculum ſuſpicaretur, acinacem Turcicũ corripit, & per feneſtram ſeſe dimittens, luxato, præcipiti lapſu, femore, à circumfuſa turba capitur, & in aulam majorem, in qua externorum Principum Legati audiri ſolent, Szuiſcii juſſu, ducebatur. Non ſtatim tamen inſitam generoſitatem poſuit. Cum

enim

enim è Boiariis, hoc est nobilibus, unus, proditionem illi, vitamque sceleratam objiceret, stricto acinace, medium dissecavit. Inde conversus ad Proceres, alloqui populum petiit, ut, quicquid esset, palam confiteretur. Sed conjurati hoc illi negaverunt, & in miserum irruentes, non uno vulnere confecere. Sicut illud ibi verissimum fuerit, quod in Ruffino Claudianus,

& non infecto puduit mucrone reverti.

Ne vero ultima Demetrii verba, & genuina confessio ejus, in vulgus spargeretur, Germanum, quem unincũ penes se habebat satellitem, simul interfecere. Tum in vulgus sparsum, impostorem Demetrium fuisse; adeoque ultra mortem crudeles, in defuncti cadaver sęvierunt. Et fune, per pudenda, transmisso, per calcata viarum stercora, ad forum traxere. Ibi sanguine lutoque fędatum, in mensa quatriduo extensum jacuit, utrica quoque fistula, quo rustici Poloni utuntur, in os inserta, cum denario, quasi pro musici cantus auctoramento. Sendomiriensem, quod diversorium delectis firmatum haberet, insessis aditibus, claudere contenti, ad aliorum Polonorum, & miserę Sponsæ gazam diripiendam discurrere, quę una cum Germanorum Polonorumq; direptis opibus computata, integras viginti tonnas auri excessisse dicitur.

Post publicam hanc rapinam simul & lanienam, quasi re optime gesta, à Boiariis, Cnesiis, & Basilio Szuiscio, in consilium itum, & de novo rursus Principe eligendo serio deliberatum. Sed quid multis? Tantũ in Szuiscio parricidium valuit, ut hic plus quam Catilina, præ aliis omnibus eligeretur. Cujus mox in Demetrium furor recruduit, & ut se Ducem legitimum faceret, illegitimum illum publico scripto demonstrare conabatur: hæreticum subinde, veneficum, impostorem, transfugam, & sacrilegum nominando. Postremo ad plenam imposturæ fidem faciendã, cum sub id, insolito his mensibus, gelu fruges ubique adurerentur, ad divinam hoc in Demetrium iram retulit, non, nisi penitus annihilato ipsius cadavere, leniendam. Itaque mox reëfferata, ut ita dicam, plebe, Demetrii, ægrè nuper mandatum terræ, corpus eruit, & illo publicè cremato, cineres in aëra sparsit.

Szuiscius Magnus Moscoviæ Dux.

Cæterum ut verissimum supra, de Demetrio, Romani Sapientis dictum erat, ita & verissimum hoc, de Basilio Szuiscio, doctissimi Severini Boëtii

Quicquid, præcipiti via,
Certum deserit ordinem,
Lætum non habet exitum.

Demetrius suppositititius in Szuiscium.

Quippe vix Demetrius erat occisus, cum ilico

ſuppoſititius, immo nondum viſus Demetrius fuit exortus, qui Szuiſcium perſequeretur: ita adgubernante fortuna, ut qui legitimum verumque peremerat, à ſuppoſititio & nondũ viſo vindicaretur. Res eſt. Poſt Demetrii obitum, qui res in Moſcovia turbatas malebant, Coſacis ſe adiunxerunt, & iterum fugiſſe Demetrium, aliumq; pro illo interfectum dicentes, ipſius adhuc partibus militabant. Et, quod mirere, rumori ex eo fides acceſſit, quod eodem, quo tumultuabatur, tempore, quatuordecim vacua generoſis equis loca, in hippone reperta fuerint, quos fugiens ille, ut vulgabatur, abduxerat. Itaque hi Demetriani in Szuiſcium omnino feroces, terribiles, per annum & alterum, Moſcoviæ toti vaſtitates intulerunt. Ad extremum, ut fucus magis coloraretur, inſigni temeritate, Demetrium, qui nullibi erat, quendam de ſuo corpore creaverunt.

Sigiſmũdus III. in Moſcoviã movet. Interim Sigiſmundus III. Poloniæ Rex (cujus Legati per biennium jam & amplius captivi Moſcuæ detinebantur) variis injuriis irritatus, exercitum militemq; legit, & mox Smolenſcum verſus in Moſcoviam movit. Cæterum quod illud Smolenſcum, quis ſitus, conditio, ſtatus, quia ad rem pertinere videtur, breviter aperiemus. Prĉſertim cum illud, quam diu erit, & fortaſſis etiam

iam cum non erit, VLADISLAI IV. victoriarum, illuſtre monumentum futurum ſit.

Smolenſcum ergo non exigua Ruſſiæ, ad Boriſthenẽ, natura pariter & arte munitiſſima Urbs eſt, et, quod claritudini addit, turribus & vaſtiſſima arce famoſa: *Smolenſcum deſcribitur.* Hanc, allecti ſæpius opportunitate loci, Magni Moſcoviæ Duces aſtu & ferro tentavere. Sed eripi Reipublicæ Polonæ non potuit, niſi Polono Duce; qui, ad magnum Sarmatiæ damnum, ad propriam patriĉ ſuæ perniciem, quod mirere, tamen inventus eſt. Is erat Michaël Glinski, nobili Rhutenorum Principum familia natus, cĉterum virtute bellica longe famoſior. Hic in Germania adoleſcens, ſub Alberto Saxoniæ Duce, tum temporis in Friſia belligerante, rebus, per omnes militiæ gradus, ſtrenue geſtis, celebre ſibi nomen pepererat, tandemque, moribus Germanorum imbutus, in Patriam redux, apud Alexandrum Poloniæ Regem authoritatem adeptus, eo loco fuit, ut graviora quĉque negotia ipſius arbitrio committerentur. Tartaros ea quoque clade affecerat, quali à Witoldi tempore Lithuani poſtea nunquam. Una illi, Regis cauſa, cum Johanne Zabrezinio, Palatino Trocenſi, Lithuaniæ Marſcalco, diſcordia nocuit, non tam ſua, quam Zabrezinij ipſius culpa. Cum enim A-

 lexan-

exandro Rege, componente diſſidium, ac poſtea mortuo, Sigiſmundus ſuccederet, mox Johannes Michaëlem, crimine affectati Imperij, & proditionis Patriæ accuſavit. Cujus injuriæ Glinſcius omnino impatiens, rogavit ſępius Regem, quatenus communi judicio, ut tantum à ſe crimen depellere poſſet, cauſam diſcerneret. Sed, pręoccupato Regis animo, petitio locum non habuit. Itaque ad Vladislaum Hungariæ Regem, Sigiſmundi fratrem proficiſcitur. A quo litteris & Oratoribus, quibus, ad cognoſcendam cauſam, Rex monebatur, impetratis, quod æquum videbatur, non una via tentavit. Sed incaſſum, omnia Zabrezinio diſcuciente. Quid itaque? Indignitate rei permotus, tale facinus, Regi, aggreſſurum ſe dixit, quod ipſi ſibiq; mærori, eſſet aliquando futurum. Mox iratus domum ſe contulit, & impetratis, clam, à Moſco, ſalvi conductus litteris, ulciſcendi libidine flagrans, in Zabrezinium, qui in villa tum, circa Grodnam, erat, toto impetu fertur. Cumque, ne elabi poſſet, diſpoſitis circum ędes militibus, immiſſo percuſſore quodam Mahometano, in lectulo dormientem interimit. Ita Zabrezinium ultus, ne, ſine utilis fidei teſſera, ad Moſcum accederet, Lithuanica quædam caſtra aggreditur. Sed, ſuperveniente

Regis

Regis exercitu, cum par non eſſet, Moſcuam fugit. Ibi, à tum regnante Baſilio, famoſi iſtius Johannis Baſilidis Patre, honorifice ſatis ſuſceptus, illi author fuit, Smolenſcum, à cujus obſidione, paulo ante, cum clade receſſerat, denuo obſidendi; fore enim, dummodo ſibi Smolenſciæ Ducatus concederetur, ut Urbem tantam Imperio Moſcico, ſe Duce, adjiceret. Aſſenſit Baſilius, certus ſe nihil daturum, ſi viciſſet. Itaq; Glinzcius Urbem, arcta iterum obſidione, preſſit: & adimens omnem defendendæ arcis, pręſidio, ſua pręſentia, ſpem, vi, aſtu, induſtria, corruptione, deditionem extorſit, Anno, poſt Chriſtum natum 1514. et, ab hoc tempore, Smolenſcum Moſcoviticum fuit. Ne autem ulterius eſſet, Sigiſmundi Tertij Poloniæ Regis, prudentia, virtus, induſtria, effecere.

Ergo Anno Chriſti 1609. obſidione premi cęptum & aditibus ubique intercluſis, turribus, munimentis, propugnaculis, & multis, paulo ante, exoticis artibus, ſollicitatum eſt. Adeoque Moſci de Scuto Imperij ſui jure ſolliciti, ad Bialam numeroſo exercitu congregato, ſolutionem à longinquo minabantur. Non tulit præſumptionem illorum Sigiſmundus Rex. Sed ipſe Smolencenſem obſidionem continuans, Stanislaum Zolkevium, feliciſſimum exercituum Ducem, aliquot

A Polonis obſidetur. An. 1609

Moſci cæduntur.

militum

militum millibus instructum, in hostes misit. Qui magno animo Biallam in hostes profectus, congregatum ibi Moscorum exercitum dissipans, reliquias in Zarembam (munimentum sic vocant ex arboribus terraque in modum fortalitii structum) pepulit, et, ne esset qui evaderet, statim obsedit.

Interim à tergo Smolenscum urgebatur. Et tantum Sigismundi, juncta virtuti, industria valuit, ut aliæ quoque, prẹter Moscovitas, Nationes, ne caperetur, in sollicitudinem verterentur. Quid ergo? Sueci, Gothi, Wandali, & quicquid populorum latet sub hisce nominibus, sub Carolo Sudermanniæ Duce, in defensivum, offensivumque, cum Moscis, fœdus coäluere. Et sane horum quoque intererat, ne Urbe tam opportuna, commoda, & munita, Polonica potentia stabiliretur. Prẹsertim, cum jam legitimum & hẹreditarium Regem suum, & Principem, à quibus desciverant, timere didicissent. Ergo, sub Pontio Gardia, novus hostis, novus exercitus, et, quod mirere, in ipsa Moscovia. Et tanta quidem erat Szuiscio Duci exterorum fiducia, ut jam non tantū de reprimendo Demetrio, sed Smolenscensi obsidione levanda, cogitaret: ad quod, si ad Zarembam Zolkevium oppressisset, momentum allaturum arbi-

Sueci jūgunt se Moscis.

arbitrabatur. Quare hunc viginti quinque millium exercitum eo destinat.

Sed intellexerat jam Zolkevius propositum ejus, & parum mox interesse docuit, cum Suecis dimicaret an Moscis, cū multis prẹliaretur an paucis. Immo tanti nō æstimavit, ut, relictis duobus ad Zarembā millibus, quinq; millib⁹ ipse & centum militibus, his obviam copiis processerit. Et, absoluto quinque horarum itinere, in Clussinensibus campis assecutus est. Res Moscis Suecisque prodigio similis & temeritati visa est, cum de fuga potius, quam pugna, Zolkevium cogitare arbitrarentur. Sed dispulit ille, prẹsentia sua, pravæ opinionis nebulas, nec temeritatem, sed virtutem esse, fortitudine pariter & exitu pugnæ demonstravit. Eā siquidem militari arte, eaq; ferocia hostes aggressus est, ut circūfusæ, & à lateribus, & à fronte, paulo ante, catervæ, quasi uno momento dissiparentur: & tam numeros⁹ exercitus, à quinq; millibus deleretur. Pontius Gardias, exterorum Dux, inter fugientes erat: Sed, eodem fortunæ cursu, Sarmatæ & illum, & receptaculum ejus Ostrosciam arcem aggressi, benevolentia exteris facta, & abeundi facultate concessa, victoriam sequi coegere. Nec Zaremba, suorum clade audita, diu tenuit, sed Polonicam quoque felicitatem suspiciens,

Zolkevius Suecos & Moscos vincit.

ciens, ad deditionem se ipsam humiliavit.

Lissovius Moscoviā vastat.

Alia parte, Lissovio Duce, Poloni, totam victoriis Moscoviam peragrabant. De cujus Ducis militiæ moribus, mira Petricius. *Mora fuit apud eum,* inquit, *& lassitudo formidata: in aviaq; & remota progressis, si quis obhæsisset, ne index ubi alij versarentur exstaret, necatus relinquebatur. Quærere pontes vadaque illicitum: pro ut usus aut necessitas inciderat, in altum se immittere, nihil trepidanti animo, & transnatare profunda equo, aut eodem amne gurgitibusque mergi necesse erat.* Hoc Lissovius modo intima Moscoviæ viscera lacerabat: & citius Oppida spoliabat, quam venire nuntiaretur. Demetrius quoque suppositititius imminebat, immanis æque ac spurius. Non omnino tamen infelix, qui plurima, etiam circa Moscuam Urbem, Castella occuparet.

Histor: Rerum Poloni:

Et Demetrius suppositititius.

Boiarii ergo Cnesiique, à tot hostibus in angustias summas redacti, quo pax generalis imperio toti conciliaretur, Szuiscium rogavere, Titulū Magni Moscoviæ Ducis, Reipublicæ pacique donaret. Fecit ille, tot cladibus humilior redditus, facilius, quam rogabatur. Et Imperii insignia, Sceptrum, cum purpura ponens, relicto quoque Palatio, privatas in ædes secessit: & mox assumpto cucullo, ad Zudnovam Monasterium, ultro inigravit.

Szuiscius imperio se abdicat.

Itaq;

Moscoviæ de novo Duce deliberatio.

Itaq; jam, absque Magno Duce, Moscovia erat: nec legitimus quisquam futurus (ita quippe inter Senatores convenerat) nisi qui suffragiis omnium eligeretur. Difficile fuit, cum in tres partes divisa nobilitas, Patriarcha cum suis Basilium, Basilii Galitchini Ducis, Primi Moscoviæ Senatoris, filium: Telephus vir nobilis, cum suis, Demetrium suppositititium: Mscislavius, vir maximę authoritatis, & Polonis addictus, VLADISLAUM Principem, tunc temporis quindecim annos natum, & Vilnæ agentem: & jam nunc tamen, è longinquo, virtutū & generositatis suæ radiis, Moscorum animos afficientem, nominaret. Et Patriarchæ quidem ratio potissima erat, in ipsa Provincia potius, quam extra, Magnum Ducem quærendum: pręsertim cum non adeo adhuc Moscovia Prudentiorum Virorum sterilis esset, ut in illa Imperio dignus inveniri non posset. In oculis Basilium, Basilii Galitchini, primi Senatoris & prudentissimi viri, prudentissimum filium esse: cui nihil, ad eminentiam hanc, natura negasset; adeoq; Imperio admovendum videri, cui, omnium judicio, nihil, nisi inauguratio sola deesset. Sed in contrarium erat, quod remediū publicis malis, & totius Imperii salus quæreretur, quæ ex hac electione sperari

Patriarcha Basilium, Galitchini Ducis filium suadet.

posse

posse non videbatur. Quid enim Galitchini filium ad Polonorum & Demetrij vires debilitandas, momenti allaturum? Szuiscium quoque in Moscovia natum fuisse, quod si suffecisset, abdicationem ejus non fuisse postulandam. Telephus, quia pro Demetrio suppositio affectum potius, quam solidas rationes adduxerat, ab initio statim non placuit: præsertim quia electionē illam plus turbarum, quam concordiæ, allaturam apparebat. Mscislavius Polonorum potentiam, legitimi Demetrij cæde, & rapina publica Moscuæ irritatam, ob oculos ponebat: Insuper Legatos eorum biennio integro amplius detentos, & non una injuria Regnum ad arma provocatum. Jam à Zolkevio auxiliares copias cæsas, & Pontium Gardiam in vinculis esse. Lissovium intima Moscoviæ viscera lacerare: ipsum Sigismundum Regem, Imperij quodammodo Scutum, Smolenscum obsidere. Et quid ab omnibus hisce nisi extremam ruinam metuendā? Satius ergo videri Vladislaum Principem, cujus virtutes Regiæ passim celebrentur, in Magnum Ducem eligere: quo uno & mala imminentia tollerentur, & facile, pulso Demetrio, pax toti Imperio conciliaretur. Hęc sensentia, etsi corda percuteret, tamen, ob ingenitum fere, in Polonos,

Telephus Demetriū supposititiū.

Mscislavius Vladislaum Principē.

lonos, odium, tum quidem locum non habuit.

Itaq; periculosa Moscoviæ scissio erat. Sed, cum salutare nihil, communibus votis statuetur, casus occasionem obtulit. Telephus enim, turbatioris ingenii vir, patefacta aliqua porta, intromittere Demetrium Moscuam statuit. Quod Mscislavius subodoratus, Zolkevio scribit, quam posset agglomeratis passibus Moscuam festinaret: in mora periculum esse. Et eam Urbem videri, quæ nec contemnenda, & si defenderetur, maximum Vladislai partibus allatura momentum videretur. Zolkevius, occasione lętus, victricia circumagit arma, et, demonstratis, per Moscos, viarum compendiis, opportune adfuit, cum jam Urbs à Demetrio oppugnaretur. Itaq;, quot Mscislavius petiit, millia Urbi immisit; quæ juncta Moscis, sub Syoltícofio Duce, qui jam antea Regi Polonię fidem obstrinxerat, tam acriter restitere, ut, eodem quasi momento, & Urbem tuerentur, & magna clade Demetrium, trans fluvium Moscum, submoverent. Tum, capti centeni aliquot nobiles, quo clementię fama colligeretur, statim, sine Lytro, omnes dimissi.

Telephus Demetrium Moscuā vocat.

Mscislavius Zolkevium.

Demetrius à Polonis cæditur.

Verissimum est, ut magnes ferrum, ita humanitatem, victoriæ junctam, mentes trahere. Secuta

 cuta

cuta quippe ingens ſtatim animorum mutatio, & omnes, relicto, tanquam Impoſtore, Demetrio, favorem, ut ſuetum eſt, proſperę fortunę dicaverunt. Pręſertim cum Mſciſlavius Galitchino author fieret, ne Moſcoviam periculo majori exponeret, nec onus ſuſciperet, cui par (pręſertim ſi rurſus Szuiſcius affectaret Imperium) futurus non videretur. Poſt maturam deliberationem aſſenſit Galitchinus. Et mox omnes Moſcovię Senatores, triumphalem Pompei vocem ſecuti, *Orientem potius quam Occidentem Solem adoravere*. Et ut Vladiſlaum Principem, qui jam magnus virtutibus erat, magnum titulo quoque facerent, communibus, quod æquiſſimum eſt, ſuffragiis, in Magnum Moſcoviæ Ducem elegere.

Omnes in electionē Vladislai conſentiunt.

Itaq; tentorio, pro more gentis, inter Urbem, & Polonorum Caſtra, erecto, quo pacis & concordię cõmodis maturius fruerentur, Mſciſlavius, Galitchinus, univerſa nobilitas, & Patriarcha gentis, Vladiſlao Sigiſmundo, Sigiſmundi III. Polonię Suecięque Regis, & Magni Lithuanię Ducis, filio, Suecorum, Gothorum, Wandalorumque hęreditario Principi, tanquam Magno Moſcoviæ Duci, juravere. Zolkevius autem, nomine Sereniſſimi Vladiſlai Principis, conventos

Vladislai in Magnū Moſcoviæ Ducem electio. An. 1610 Menſe Septem:

tos

tos inter Gentem & Principem articulos, jurejurando viciſſim confirmavit. Et mox Decretum electionis, & litteras, Magni Moſcoviæ Ducis titulum continentes, & confirmantes, ad Sigiſmundum III. ad Smolenſcum, in caſtra miſit. Tum ad lætitiam verſi Proceres utriuſque gentis, ſe muneribus invicem proſequebantur. Et, poſt ſolennes tintinnabulorum pulſus, tormentorum boatus, vulgi voliferationes, ad arcem, cum Zolkevio, migravere. Ibi Sexcentis, quod dicitur, luciniarum ferculis, opipare paſti, Salutationes invicem propinaverunt. Demetrius omnia, per Exploratores, edoctus, deſertis, quas circa Urbem occupaverat, arcibus, cum ſuis pręcipiti curſu fugit. Et ad Polonos ſuorum aliis, ad Moſcos aliis deficientibus, ipſe tandem vivus in manus hoſtium venit, & in rheda propria jugulatus eſt.

Demetrii ſuppoſititii exitus

Maxima cum Smolenſco difficultas reſtabat, Et quamvis ita Zolkevium inter & Moſcos convenerat, ut illud Sarmatię reſtitueretur, adeoque & ſuppetiæ nullæ illi mitterentur; tamen illud, ſub Præfecto ſuo Michaële Boriſzowicio Sehino, annua amplius obſidione debilitatū, ultra Moſcoviam quoque pertinax, nolebat, niſi iiſdem cum illa conditionibus, ligari. Poſt centum

Smolenſcum ſub Sehino, pertinax.

tum enim annorum (quibus Moſcis ſervierat) obſequia, ne Polonicum eſſet, Moſcoviticum videri voluit, & deditionem quidem, ſed Vladislao Principi, tanquam Magno Moſcoviæ Duci, non Sigiſmundo III. ut Poloniæ Regi, facere. Contra Magnus Lithuaniæ Cancellarius Sapieha nitebatur: aliamque cum illis, quam Moſcis, agendi rationem eſſe demonſtravit. In hos quippe Polonię Regi nihil juris eſſe: in Smolenſcum autem, tanquam incontroverſum, ab antiquo, Lithuaniæ membrum, jus Regi, ut Magno Lithuaniæ Duci, vel Moſcovia ipſa concedente, omnino competere. Quare, omiſſis ſubtilioribus rationibus, ad Clementiam Regiam potius, quā inutiles diſtinctiones, confugerent. Secus; non aliter cum illis, quam Rebellibus, actum iri. Sed fruſtra omnia. Obfirmato enim Sehinus, ad omnem eventum, animo, pertinaciter reſiſtebat. Præſertim cum diuturna, iis in locis, & pluvialis hyems immineret, et, ebulliente paulatim Boryſthene, deſerturos ſtationes Polonos opinaretur. Sin minus; Urbem eſſe, cum qua occumbere, non inglorium videretur. Utrumque fere accidit. Nam, intumeſcentibus aquis, potiorem militem Sigiſmundus in hyberna deduxit: Sed, victa mox hyemis aſperitate, non aliter ac ſi reſpiraſſet,

raſſet, animoſius, ineunte vere, iterum obſidionem aggreſſus eſt. Sed reſolutio Regis intra Sehini Moſcorumque pertinatiam erat, quâ, omnis conatus ejus, irritus reddebatur; adeoque Rex obſidionem ſolvere proponebat. Tum illud memorabile, Bartholomęi Novodworſii, Equitis Melitenſis, Poloni. Hic, intellecto Regis propoſito, magna fiducia illum acceſſit. Et, *ignoſcat Regia ſua Majeſtas*, inquit, *quod Solus ego Regiam ſuam Majeſtatem à propoſito ſuo dehorter. Octo dierum moram ſupplico, & pauculos ſumptus, & hanc Urbem, per Dei gratiam, Regiæ ſuæ Majeſtati tradam.* Et, quos ſumptus, inquit Rex. *Centum Centenarios pulveris*, reſpondit. Sed, ediſſere rationem, ait Rex, quomodo hanc Urbem trades. *Cum Regia ſua Majeſtas*, Reſpondit, *hanc Urbem primo, ante biennium, obſidione clauderet, canalem ego, ferreis cratibus munitum, ſub mœnibus animadverti. Has ego crates, toto illo biennio, varijs inſtrumentis ferreis, frangere & tollere penitus laboravi. Et ne Moſci (qui aliquoties me laborantem in mœnibus audierunt, &, canem eſſe putantes, oſſa rodentem, lapidibus impetivere) me animadverterent, hyeme veſtem Griſeam glaciei ſimilem, æſtate viridem gramina exprimentem indui. Adeoque hoſtes fefelli ut ſublatis jam cratibus ferreis, foſſaque facta, Dei gratia, ſalvus ſuæ Regiæ*

Novodvvorſcius Regē ad expugnationem hortatur

Regiæ Majestati, frustra tentatum hactenus, ad disjicienda, subjecto pulvere, mœnia, ruinam hyatumque faciendum, occasionem offeram. Simulet itaq; aliis partibus Regia sua Majestas assultus, & divertat Barbaros, ego interim, cũ minime, & qua minime hostes putabunt, parte ruinam faciam, & subito cum delectis irrumpam; adeoq;, citra sanguinis effusionem, Regiæ suæ Majestati, Urbem tradam. Rex Novodworscii Oratione lętus, ipsoque collaudato, centum centenarios pulveris dari jussit, et, prout petierat Novodworscius, oppugnationem instruit.

Smolenscum armata manu expugnatur Anno 1611. 4. Non. Iun.

Itaque Anno, post Christum natum, 1611. 4. Non: Jun:, divisis, ad irruptionem, copiis, seorsim (quo æmulatio vires adderet) Polonis, Germanis, Hungaris, Cosacis, totidem, una vice, locis, Urbem aggreditur. Dum pugnatur, dum resistitur, Novodworsius, accenso pulvere, stratisque immani ruina mœnibus, à tergo, & inopinantibus Moscis, cum delectis irrumpit, & facile Poloni, citra jacturam militum, Urbe potiuntur. Ad arcem vero pugna recruduit. Sed mox, ut fit, Clamor, strepitus, & consternatio; turbabant, animos: frangebant oppugnantium, ab extra virtus, ab intra, depascens armamentarium, templa, ædes, & omnia, ignis. Quæ cuncta, in mise-

miserorum Moscorum horrorem, nimium momentis crescebant. Ad extremum ergo cessere, & Smolenscum Sigismundo III. Poloniæ Regi, suo interitu, Poloniæ membrum permisere. Hoc eis genio famæ, in malis, indulgente, ut Urbem, inter paucas, sua strage, memorabilem facerent. Biennalis siquidem obsidionis spatio, amplius, quam ducēta Moscorum millia interiisse dicuntur. In expugnatione vero ipsa, octo millia, ferrũ & flamma consumpsit. Michaël autem Boriszowicz Sehinus, Pręfectus Urbis, jucundo spectaculo, vivus in Polonorum manus venit. Quem Sigismundus III, etsi ut rebellem punire potuerat, tamen, ut Moscorum animos sibi conciliaret, in Vladislai filii, electi Magni Moscoviæ Ducis, gratiam, vita denatum, captivum duxit.

Sehinus capitur.

Sigismũdus Provinciam ordinat.

Parta hac tam insigni victoria, tempus reliquum Sigismundus, ordinandæ Provinciæ, & [quo Vladislao filio suo, electo Magno Moscovię Duci, magis consuleret] Moscoviæ ipsi impendit. Ne vero in absentia filii sui, quicquam in Imperio illo innovaretur, Basilium Szuiscium, cum Johanne & Demetrio fratribus, per Zolkevium Ducem, in Poloniam abduci curavit. Qui, insigni novercantis fortunæ ludibrio, Sigismundi Regis triumphos, in comitiis ipsis Warsavien-

Szuiscius in Poloniam abducitur.

sibus,

ſibus, cum Sehino capto, poſtea nobilitavêre.

Jam itaque indubie, Vladislaus Princeps, legitimus erat Magnus Moſcoviæ Dux. Quippe, quod æquiſſimum eſt, liberis legitimisque omnium votis, cum digniſſimus omnium videretur, electus, litteris publicis, & Moſcorum juramentis confirmatus. Et profecto, mira naturæ indulgentia, prudentiorum quorũq; judicio, ſufficere, & illi, & quantumcunq; imponere fortuna poſſe videretur, oneri par exiſtimabatur. Nihil ergo deerat, niſi Moſcorum conſtantia. Sed quid par levitati gentis? ad perfidiam paulatim degeneravit, & publico Senatorum ſcelere, ex Cneſiis, ſive Magnatibus, unum, Michaëlem Fedrowicz, Principe Vladislao relicto, in Magnum Moſcoviæ Ducem elegerunt. Et ſucceſſu temporis iterum Moſcua Urbe potiti, multos per annos, vario Marte, cum Polonis dimicavere; ad extremum, eo etiam præſumptionis progreſſi, ut Smolenſcũ, quod Alexander Gonzevius, Palatinus Smolenſcenſis, Romana virtute tuebatur, denuo obſidione premerent.

Vladislai virtutes.

Moſcorũ, aliũ Ducem eligentium, levitas, & in Polonos arma.

Irritari Sarmatia videbatur, & tangi generoſitas nobiliſſimæ gentis. Quid ergo? Serio tandem in ultionem excanduit, et, indulgentiis à Summo Pontifice quoque conceſſis, qui ſacram illam mili-

Horribilis Moſcoviæ devaſtatio An. 1617.

litiam, contra Schiſmaticos, ſequerentur, Anno 1617. non uno exercitu Moſcoviam ingreſſa, omnia ſurſum deorſum miſcuit. Moſci, quaſi una manu, à Smolenſcenſi obſidione fugati, et, terrore deinde latius dato, Provinciæ ſingulę devaſtatæ. Tum quoque Vladislaus Princeps, accepto à Patre exercitu, Moſcoviam ſuam ingreſſus eſt; lætus quod occaſionem bellandi nactus eſſet, qua ſpargere generoſitatis ſuę indicia poſſet, nec otio domi deſidioſo corrumpi cogeretur. Et, averſari ſe ejuſmodi, factis oſtendit, de quibus idem, quod jure de Prętore illo Romano, Seneca: *Hic Vatia ſitus eſt.* Sciebat enim, quod non palpatur, ærugine ferrum corrumpi, quod pulſatur autem & teritur, candorem pariter & fulgorem oculis intimare. Et hominem otio ſaginaque ſua diffluere, ignavia prorſus corrumpi: laboribus autem & ſtrenue geſtis ad gloriæ victoriarumque radios, ad laudabiles triumphorum fulgores, teri quodammodo & contrectari. Verbo. Generoſus apparuit. Hoc eſt (ut Seneca vult) *ad virtutem à natura compoſitus.* Itaque inſigni fortitudine, & felicitate, arces & Urbes varias aggreſſus, quæque obvia ſubjugavit. Non Novogrodekum, non Starodubum, non Czernihovia reſtitit. Sed integrę Provincię, Severia Czernihoviaque, ad ipſos uſque

Ep. 55.

Ep. 44.

Vladislai expeditio prima, & victoriæ.

Prȩcopensium Tartarorum fines, Vladislai impetu expugnatæ, jugum admisere. Adeoque Vladislaus Princeps, continuis, expeditionem primam, victoriis, illustravit. Post hæc nihil intactum tota Moscovia fuit. Rezania vastata, Wolodimeria spoliata: Novogardiæ majoris minorisque ditiones populatæ. Transmissi, Tanais, Moscus, & Volga, fluvii. Astrachani & Casani Regna exhausta. Permij & Pizarri ad paupertatem redacti. Populi ad cingulum terræ, & adorantes Auream Anum pellibus, substantia & divitiis suis exuti. Ad usq; Caspium mare, glacielem Oceanum, & horridam perpetuis nivibus lappiam victoriis penetratum. Verbo. Tanta Polonorum pertinacia & resolutione, temeraria Moscorũ levitas castigata, ut, spreto Moscoviæ gelu, multa millia, prȩsertim Lissovio Duce, non ignem, non tecta, non domos villasve, longo temporis spatio subierint, nisi ut aut exurerent, aut spoliarent. Itaque tot continuis cladibus Moscoviæ Imperium deformatum, cum nec in agris amplius villæ, nec in villis, si alicubi adhuc casu steterant, homines reperirentur: Cum Urbes & Oppida in solitudines abiissent, & immania tantum, vastissimarum Provinciarum, cadavera superessent, Poloni, concessis Michaëli quatuordecim annorum indu- *Inter Polonos & Moscos*

ciis,

ciis, dimissis quoque Johanne & Demetrio (Basilius quippe in captivitate obierat) Szuisciis, Sehino etiam & Magnatibus aliis, juramento tamen prius prȩstito, se nunquam in Poloniam arma resumpturos, fessa etiam victoriis arma posuerunt; ut deinde, majori cum fructu, sub Rege Vladislao (cui Severia Czernihoviaque Provinciæ, & Magni Moscoviæ Ducis titulus, & jus permittebatur) resumerent, & summa, perfidæ gentis, ignominia, vindictam consummarent. *quatuordecim annorum induciæ. eodem Anno 1617.*

Etenim, si rem penitius inspiciamus, non sine occulto quodam fortunæ sensu, ob binas potissimum rationes ad gloriam tamen Vladislai utrāq;, hanc perfidȩ gentis, in præjudicium ejus, culpam, Superos permisisse videbimus. Tum ut felicitas ejus adversis radiaretur, &, utrum prospera porro mereretur, infortunio probaretur. Sed, quod Sapienti in suis calamitatibus accidit, omnem fortunæ iram quodammodo reverberavit, & ante se fregit, eandem semper faciem servavit, placidam, & inconcussam. Quod in non modicam Vladislai laudem *Ille enim qui se lætis rebus non inflavit, nec mutatis contrahit, adversus utrumque statum invictum animum tenet, exploratæ jam firmitatis.* Adeoque hæc illi, in infelicitate quodammodo, felicitas contigit, ut nosset simul & vinceret, rerum *Moscorũ rebellio in gloriã Vladislai.* *Sen: Con-sol: ad Hel:*

 natu-

naturę alteram partem. Tum etiam ut gentem inimicam, & perfidam, cum suo Tyranno, majori Vladislai gloriæ & ultioni reservarent. Nec enim triumpho, ab omnibus propemodum sęculis inaudito, famosissimus Regum postea evasisset nisi inimica gens materiam, in suam ipsius ruinam, perfidia subministrasset.

Resurgat ergo paulatim, sub Michaële suo, Moscovia; si resurgere est, ad pręcipitium elevari. Resurgat, inquam, & elevetur; sed *ut lapsu*, quod Claudianus, *graviore ruat*. Interim legitimum verumque Magnum Moscoviæ Ducem Vladislaus agat, Michaël Scenicum & Tyrannum: quousque eo gloriæ ascendentem Vladislaum videamus, ut titulum, Majestati ejus minorem, ultro projiciat: adeoque, cum Magno Pompeio, non minoris gloriæ, facere Magnos Duces, quam vincere, judicet.

CA-

CAPVT TERTIVM.

ARGUMENTUM.

Vladislaus IV. vulnerati Patris vitam servat.

SUMMARIUM.

A natura inditam Regum reverentiam esse: hac tamen posita, in templo Sicarius Sigismundum Regem vulnerat. Ictum ad verticem directum Opalinsci⁹ virga excipit. Vladislaus, in Patrem pius, subvenit, è periculo liberat, & Sicarium persequitur. Rex non, nisi absoluto Sacro, à templo discedit. Ambiguus de illo rumor, sed ubi populo se vivere ostendit, pietas Vladislai passim collaudata. Hæc carmine ab Authore concepta. Sigismundi Regis clementia, Sicarii supplicium.

QUemadmodum natura commenta est Regem; ita mortalium animis quandam, subjectam Majestati, reverentiam indidit, ut faciem eorum augustam, tacita mentium nostrarum angustia, adoremus. Et recte hoc quidem secundum Apostolum. *Omnis anima Potestatibus sublimioribus subdita sit, non est enim Potestas nisi à Deo.* Quis ergo naturæ refragetur & legi? Non nisi, in hoc casu, qui naturam ipsam, & divinæ legis reverentiã quo-

Reverentia erga Reges à natura.

quoque posuerit. Quamobrem tam arctam humani generis, cum fastigio regali, concordiam, consensus mortalium voluit, ut lesæ Majestatis damnârit, qui verbo, ne dicam ferro, violaverit. Hoc tam grande, tam immane nefas, ut ut in aliis aliquando gentibus auditum fuerit, in observantissima Regum suorum Sarmatia, ante hanc diem nunquam. Et nescio quomodo tandem tam impius, in fidelissima gente, unus inventus fuerit, qui sacrosanctam, hac ex parte, Poloniam, Regis parricidio primus deformare conaretur. Nos hoc nobilitati Sarmaticæ, & familiæ, dabimus, ut nomen Sicarii (nec enim nominare fas est) supprimamus: ut hac saltem ratione, quasi in Polonia nunquam fuisse videatur. Res est.

Sigismũdus III. VVarsaviæ ad sacrum vadit. Piissimus Sigismundus Rex, ut erat Catholicę religioni addictissimus, ita ipsi laudabili more inveteratum, Sacrificio Missæ prius Deoq; vacare, quam ulli negotio Regni, se applicaret. Itaq; cum Warsaviæ ad templum procederet, Sicarius: Sed quis ille? si familiam spectes, nobilis: si mores, mortalium perditissimus. Saltem unus ex illis, de quibus recte Cordubensium decus, *qui multa Principibus debent, sed multa & imputant: quibus nunquam tam plene occurrere ulla liberalitas potest, ut cupiditates illorum, quæ crescunt, dum implentur, exsatiet.* *Sen. Epi. 73.* Satis enim constat hunc pessimum Parricidam, licet mente captum, maximis, à munificentissimo Rege, beneficiis affectum fuisse, & cui singularia, præterquam, quæ nobilibus aliis in communi præstantur, contigerant. *Sed memoriæ minimum tribuit, quisquis spei plurimum.* Lethen fluvium biberat, & beneficiorum oblitus, in pravum omnia verterat. Vere Seneca. *Quemadmodum stomachus morbo viatiatus, & colligens bilem, quoscunque accepit cibos, mutat, & omne alimentum, in causam doloris, trahit: ita animus cæcus, quicquid illi commiseris, id onus suum, & perniciem, & occasionem miseriæ facit.* *Lib. 5. de Ben.* Talis, inquam, hic nefarius, benevolentiam & pietatem Regis, in occasionem sui maleficij vertens, foribus abditus, asperatum saxo malleum, rostrato mucrone, in caput (horreo dicere) prætereuntis Regis attollit; opportuno tunc flagitio, cum Vladislaum Principem, Primoresq; sequentium, occupatos & sustinentes à tergo turbam, ipse etiam, porta paulum ad limen adducta, moraretur. Sed ictum, fallente manu, levi tantũ genæ vulnere, bis in humerum manubrio illisit. Tertium jam ad verticem directum, obversus Lucas Opalinscius, Marschalcus Curiæ, virga retinuit, infregitque. Plures parabat, cum ad nuntium rei Princeps Vladislaus accurrit: *Sicarius Regem vulnerat. An. 1620*

G quem

Vladislavus Sigismundum patrem servat. quem ut Sicarius vidit, metu nefarium subeunte pectus, relicto vulnerato Rege, fugit. Sed vindicandi Patris (cui, opportuno adventu suo, salutem, dubio procul, attulerat) piissimo studio ardens, fugientis, acinace Turcico, terga sequebatur, et, inflicto percussori vulnere, in frusta concidisset, nisi alii, non commiseratione scelesti, sed quo suspecti latius sceleris indicio reus servaretur, indignantem, & precibus, & amicabili complexu cohibuissent.

Detestatio sceleris. Subeunt animum, immani istius flagitii occasione, verissima, efficacissima, & prorsus quasi innuentia tam grande nefas, Romani Philosophi *Lib. 7 de ben.* verba. *Ecce nescio quæ non ex Philosophorum domo clam, sed ex medio conventu, populos gentesque damnatura vox mittitur:*

Non hospes ab hospite tutus.
Non socer à genero, fratrum quoq; gratia rara est,
Imminet exitio vir conjugis, illa mariti.

Hoc jam amplius est. Beneficia in scelus versa sunt: & sanguini eorum non parcitur, pro quibus sanguis fundendus est. A subdito in Regem, prô dolor! vidimus: tam herculè innocentem, ut si ingratum excipias, in cujusque subditorum suorum sinu tuto potuisse dormire videretur.

Jacebat interim ille humi (quippe interea, dum

dum Vladislaus Princeps Sicarium persequeretur, per leve lubricumque pavimentum, gravi lapsu conciderat) & herentibus cunctis, cum auxilium, periculi cujusque, aut suspicionis, tardaret metus, lesa aliquamdiu Majestas attonitis spectaculo fuit. Tandem primus Johannes Kalinscius, adiuvante per manus Bonaventura Rogascio, acceptum medium terræ adlevat. Accurrit & Johannes Zebrzydovius Ensifer Regni, simulque voce, manu, stricto gladio, detestatur scelus. Hæc autem pietas, etiam in hac miserabili facie rerum, Regis erat, ut non, nisi peracto Sacrificio, educi templo voluerit. *Sigismundus à terra sublevatur* *Ejus mira pietas.*

Ambiguus Varsaviæ rumor. At jam ambiguus, sine authore, rumor, Urbem pervaserat: & aliquod grande nefas admissum quilibet sciebat, quale esset nesciebat: cum sibi quisque pro fantasia, quod non acciderat, scelus fingeret, & diversa invicem suspicarentur. Inde in publicis viis, incerta quærentium pariter & respondentium, sermones varij. Donec tandem constanti fama innotuit, esse Sarmatiæ Regem à Sarmata vulneratum. Qui, ô, tum concursus! quis tumultus! Res, inaudita hactenus, prodigio similis visa est. Et, ut est gens suo affectissima Principi, ploratu omnia miscuit, cum quasi mortuum fleret, quem vivere non compe-

risset. Et quamvis ab aulicis, esse absque periculo Regem, & in melius valetudinem ire, spargeretur; tumultus tamen sedari non potuit, nisi oculis omnium probaretur. Quid itaque? Rex ipse Sigismundus, ut incredulam æque ac piam plebem absolveret, absterso sanguine, in publicum prodiit, & aspectu mutuo, plebi, incolumitatem propriā demonstravit. Tunc, decretis per templa donis, actæ Deo publicæ, crebris orationibus, gratiæ: genus armorum, quo necem Regis parricida tentaverat, edicto publico, vetitum & abrogatum. Præmium sublevanti à Regina torques aureus, & triginta sestertium millia à Senatu autem, bona percussoris, dono data.

Sigismũdus populo se ostẽdit.

Vladislaum interim Principem, tanquam defensorem Regis, Servatorem Patris, & publicę pietatis exemplar, quilibet intuebatur. Et jam non adeo de vulnere Regis, quam affectu adolescentis, sermo erat: & maximum aliquando futurum, qui jam & à puero magnus omnibus erat, & Magnus Moscoviæ titulo, & maximā pietatem ostenderat, omnes ominabantur. Nec sine exemplo omen erat: quia & olim Scipio, prætextatus admodum puer, adversus Annibalis ferrum, Patrem Scipionem defenderat, & postmodum maximus, & Affricanus, & Patre major evalerat.

Vladislai pietas laudata.

Pro-

Profecto Sarmatia illi Sigismundum Regem, Sigismundus debebat filio vitam: non sine imminentium Paterno Sceptro filiorum dedecore. Nuper sic cecini.

Nero quisquis erit, vel quisquis Domitianus
More fuat sævo: quem diri pectoris atrox
Propositum cruciat, cognati sanguinis urnas
Fundere purpureas; adeo positoq; pudore,
Imperij causa, pravaque cupidine Regni
Cædibus immitem tetris juvat esse Tyrannum.
Hic (immane nefas!) naturæ legibus ipsis
Ruptis, nec fratri parcet, nec utroque parenti.
Sæviet ut regnet: fluat undæ sanguis ad instar,
Viscera scindantur matris: Pater ipse veneno
Evomat infelicem animam: dum Sceptra Tyrañ.
Auspicio infelix diro, scelerata capessat.
Osmanidæ faciunt: præcedunt funera fasces
Impia sacrilegos. Immani barbarus ausu,
Sanguinis oblitus genitricis, per mare rubrum
(Impulsu flatu præpostero ab ambitionis)
Navigat ad Portum Regni. Procul este maligni
Phalarides, Scythiciq; procul discedite mores.
Scipio Sarmaticis exortus nuper in oris,
Prætextatus adhuc, rhomphæa jam Genitorem
Protegit, Annibalis diro mucrone petitum:
Gratus in exemplum. Felicem dicite gentes,

 Quem

Quem non regnandi ſtudium, de tramite legis
Naturæ pepulit: quique exſpectare Parentis,
Et fatum, & Sceptrum potuit, non præcipitare:
At Vladislaum miraclum dicite gentes:
Ne regnet, juvat eſſe pium, ſervare Parentem.

Cæterum ut mirabitur virtutem illius ſera poſteritas; ita parricidæ ſcelus, execrabitur toties, quoties occurret. Præſertim cum & ingratitudinem hujus, & raram Sigiſmundi clementiam conſiderabit: tum quoque in Sicarium ſe exerentem, cum omnes ſupplicium meditarentur. Seneca de apibus, inquit, *Rex ipſe ſine aculeo eſt. Noluit illum Natura, nec ſævum eſſe, nec ultionem magno cō ſtaturam petere: telumque detraxit, & iram ejus inermem reliquit. Exemplar hoc magnis Regibus ingens. Eſt enim illi mos, exercere ſe in parvis, & ingentium rerum documenta minima agere.* Imitari Clementiſſimus Sigiſmundus voluit, & more optimorum Parentum, qui maledictis infantium ſuorum arrident, beneficia etiam in percuſſorem ſuum congerere. Itaque nec acerbum quicquam, nec indignum locutus, Parricidam in animo ſuo abſolevbat, & velut innocentia donans, pro percuſſore, ſuas apud Senatores preces interpoſuit. Sed aliter, ad juſtitię normam, viſum Primoribus. Et quamvis nefarium palam mente captum conſta-

Clementia Sigiſmundi.

Lib. 7. de Clem.

conſtaret, hoc tamen veniam illi & miſericordiam omnem exemit. Quid ergo? Quæſtioni ſubjectus, nec tortura, nec igne, nec ullis pænarum experimentis, conſcium tanti ſceleris aliquem nominavit. Magnum profecto innocentiæ Sarmaticæ experimentum, quod percuſſorem ejuſmodi, ante hanc diem, neminem ſuorum habuerit: unicum hodie ſolum: nec hunc fortaſſis, niſi inſanum. Quamvis tamen & ſic ille, in læſa Majeſtate Regis nimius. Ergo judicio publico damnatus, exemplo omnibus & ſpectaculo deſtinatur. Et primo quidem arreptum lictores, in obviis viarum capitibus, noxias facineroſi carnes, candenti ferro lacerant, & deductum extra Urbem, in faſtigiato, erecto ad hoc ipſum, Theatro, aptatam, malleo roſtrato, dexteram, flammis adurunt, nudiſque jam fluentem oſſibus, cum lęva amputant. Inde, admotis quadrigis, diſtentum alligant, & in diverſum concitatis equis, in partes quatuor convulſere: quibus ad extrema combuſtis, cineres in aërem diſperſi. Faxit Deus, ex illis nunquam ejuſmodi Sarmatiæ Phænix, in poſterum, enaſcatur.

De nefario ſupplicium ſumitur.

Partis Primæ, Libri Primi Finis.

GE-

GESTORUM
VLADISLAI IV.
PARTIS PRIMÆ
LIBER SECUNDUS.
ARGUMENTUM.

Vladislaus Osmanum Turcarum Imperatorem vincit.

SUMMARIUM.

Turcæ qui: discordia Christianorum proficiunt: Origo belli Valachici. Gratianus unde, & quis. Gratianus Valachiæ Princeps: ad Polonos deficit, Zolkevius in Valachiam movet: fortissime sæpius cum Turcis pugnat. Gratiani interitus. Zolkevius inter continua prælia Poloniam versus movet, & tandem, ob suorum dissidia, cum quinq; millibus occiditur. Prodigia in Polonia & metus. Sigismundi Regis circa bellum sollicitudo. Hotkevicium Zolkevio successorem facit. Hotkevicius Lubomirscio in Valachia se conjungit. Osmanus Achomati succedit: adulatoribus aurem præbet: cum septingentis millibus in Valachiam movet. Trecentorum Cosacorum fortitudo. Cosaci se Polonis jungunt. Vladislaus Princeps in templo Warsaviæ vexillum in Turcas accipit. Omnia victoriæ. Warsavia ad Tyram proficiscitur: Exercitui de victualibus providet. Hotkevicio se jungit, ejus, in varijs oppugnationibus, virtus. Magna & horribilia prælia. Cosacorum in castra Turcica irruptiones. Hotkevicius, licet æger, ad prælium è lecto surgit, pugnat, & vincit. Karacassius Bassa in castra Turcica venit. Terribilis Polonicorum castrorum oppugnatio: Karacassius cum quatuordecim millibus interficitur. Hotkevicius moritur, cujus munia Lubomirscius obit. Generalis & ultima Polonicorum Castrorum oppugnatio. Vladislai virtus. Osmanus desperabundus à Vladislao Pacem petit. ignominiosam ipsi, gloriosam Polonis impetrat. Turcæ priores discedunt. Vladislaus cum magna gloria in Poloniam redit: Osmanus autem Constantinopoli interficitur.

Turcarum ignobilis Scythica gens est, & vel ab antiquo ad Caucasum Montem, à vicinis contempta, ab Europæis, admodum curiosis, vix solo nomine cognita. Et profectò omni compositione corporis ad servitium natis, nescio quo fato acciderit, imperare. Latis quippe Schapulis ad sarcinas ferendas accomoda, pusilanimitate ad bellum inhabilis, prorsus mancipium à natura refert. Et quo uno nomine formidabilis est, abnegantium Christi fidem, gentium robore habet. Quamvis *Qui, & unde Turcæ.*

ne sicquidem aliquando futura victrix, nisi discordia Principum Christianorum, integra prius Imperia, quam ipsorum ferocia dissolvisset. Pronum erat nuda Provinciarum latera, mutuis sauciata dissidiis, ad casum, vel levi concussa motu, tandem perducere. Ita Armenia, Mesopotamia, Syria, Palæstina, Asia minor, sive Natolia, Trepezuntium, Græcia, & Ægyptus, cervices submisere. Adeo ut verissimum sit, quod filiis suis Micipsa: *Concordia res parvas crescere, discordia res maximas labi.* Cæterum qui populi dentes, quod dicitur, ostendêre, vel morsu levi laceratam, abegerunt. Castriotus & Huniades, copiis non adeo numerosis, sexaginta sæpius, octoginta, centum, immo & trecenta millia cecidere. Ad unam Hungariam, quod mirere, jam à seculis fere tumultuatur. Cessit tamen, post Schander-Begum Epirus, & Hungaria mutilata, ex parte Turcica est. Una, contermina gentium, & infesta Barbaris, Polonia inviolata persistit: non quia impugnata non fuit; sed quia concors, fortis, & felix. Maximum vero, quod habuit unquam, discrimen, à levibus Valachis habuit. Et discrimen cæpit cum dissidium. Verumenim vero, ut rem penitius inspiciamus, occasionem belli, Valachiam, breviter perlustremus.

Discordia Principum Christianorum proficiunt.

Salust. bello Iugur.

Digressio ad bellum Valachicum.

Vala-

Valachia duplex est. Qua Tyram & Poloniam respicit, à modico, quo irrigatur, Moldava fluvio, Moldavia nominatur. Qua, ab Oriente, ultra montes est, Valachiæ nomen retinet: quamvis subinde & Transalpina vocetur. Cæterum hæc tota Regio, libera primum, inde plurimorum dominio vacillare, ad extremum labi cæpit. Defuncto Stephano, primo, post Bazaradum, Principi, duo, Stephanus & Petrus, filii fuêre. Stephano jus Primogenituræ, Petro, turbido adolescenti, vulgi favor, Imperium promittebat. At, quod in ejusmodi casu fieri assolet, tumultuario plebis motu, Petrus prævaluit. Stephanus, vectigalem Casimiro Magno Valachiam promittens, hujus opera, ad fastigium paternum evasit. Cæterum Petrus, maxime post Casimiri mortem, proniori ad pacem Stephano infestus, tumultu sæpius omnia populari miscuit, & occasionem Turcis, Bulgariam, Serviam, & quicquid à tergo, occupandi præbuit. Exterriti iterum, vicino periculo, Valachi, in Polonorum rursus clientelam concessere. Sed Postliminio, ad veteres, de successione, turbas revoluti, altera Provinciæ parte, Valachia proprie dicta, à Turcis mutilati fuerunt. Et Moldavia sola restitit Polonorum ope. Postquam vero Mahometi secundo Cõstantinopolis, & quicquid super-

Valachiæ descriptio.

Ejus dissidia, & Poloniæ vectigalis

à Turcis subjugatur.

erat

erat Græciæ, cessit, tunc demum & ipsa ad Turcas conversa est. Hinc vetus, Sauromatas inter & Turcas, de Valachia, quæstio: illis legitimi Dominij jure repetentibus: his ferro partam, ferro defendentibus; & ad majorem securitatem, pro suo arbitrio Principes, attamen Christianos, præficientibus. Poloni, etsi armis jus suum prosequi facile sæpius potuissent, tamen, & ob expertam sæpius Valachorum perfidiam, & quia omnia prius, quam arma tentanda ducerent, cautius & lentius procedebant: donec tandem Gratianus, ad extremum & ipse perfidus, ostentata occasione, recipiendæ ex voto Valachiæ pruriginem affricuisset.

Hinc vetus inter Turcas & Polonos, de Valachia, quæstio.

Gratianus Polonis spem recipiendæ Valachiæ facit.

Erat Gaspar Gratianus Græcii in Styria natus, mediocris ingenii vir, ad opes tamen & divitias parandas proniore. Has quia assequi, in Patrio Solo, non adeo erat proclive, cum grandiore natu fratre, ejusdem ingenij viro, domestica paupertate pressus, Constantinopolim migravit. Cæterum coëmendarum gemmarum, & alibi distrahendarum studio tenebantur. Quod ut felicius paulatim successit, lucro compendioso illecti, Constantinopoli sede locata, per Christiana pariter, & Mahometana Regna, ut spes lucri, animo concepta, impulerat, vagabantur. Ita Gratianus in Italiam quoque delatus, venundatis, Magno

Quis ille Gratianus.

Hetruriæ Duci, mercibus, ex occasione callidus, ad aliud animum vertit, ex quo, præter Lenocinium lucri, gratiæ quoque publicæ plurimum, à Turcarum præcipuis, aucuparetur. Videbat Liburni non ignobiles domi Turcas, ad triremes, ut mancipia contempta, damnatos, intollerabili labore vexari. Horum ad octoginta præcipuos, ut plurimum Constantinopoli ortos, stipulata pecuniæ summa, redemptos, ad propria revehit. Obstupuit Constantinopolis Christiani factum, & quod avaritia erat, misericordiam interpretabatur. Igitur ad insolentiam rei commota Urbe, quasi momento, portus & littora complebantur. Et dum inter mutuas natorum & consanguineorum congratulationes tumultuatur, rumor ad Achomatem Cæsarem deferebatur: qui, accersitum Gratianum, cum fidum sibi putaret virum, Ducatu Naxiæ & Bissacensi donavit. Inde, imperata, ad Matthiam Christianorum Imperatorem, legatione, quia ex voto perfecerat, redeuntem Valachia auxit. At Gratianus originis suæ memor, ut tacito præsentem fortunam sensu mirabatur & adorabat; ita inconstantiam ejus & ludibria verebatur & metuebat. Et poterat hoc meritissimo jure, ut qui infaustos Turcarum, & breves in Christianum favores; & infida, levia, & novos subin-

Ejus calliditas.

Valachiæ Princeps constituitur.

Ad Polonos defectionem parat.

de anhelantia Dominos, Valachorum suorum ingenia nosceret. Quapropter, perinde Turcarum favori, quam fidei Valachorum diffisus, ut alias vires potentię Turcarum opponeret, eodem, quo ante subfuerat, jurę, & sę, & Valachiam, Polonis subjicere statuit. Quod ut eo commodius faceret, de Turcis identidem oblique loquendo, & Polonos veteres elevando Dominos, nobiliores Valachorum & mobiliores, in partem traxit; & per hos Valachiam prope universam. Præsertim cum veterum Dominorum memoria nondum evilui ſſet, & æquitatem tributi, Polonis olim pensitare soliti, & Turcarum immodicas exhausiones perpenderent. Quid ergo? Gratiano Valachia aderat, Gratianus Polonis, dummodo reciperetur. Quod ut fieret, alia gravis causa & fere necessitas Polonos urgebat: Sed quæ originem traxerat ex eadem Valachia. Quamvis enim publice, ante Gratianum adhuc, quasi neglecta fuisset, tamen privati nobiles, indignabundi quod non asſereretur publico sumptu, privato repetierant. Et inter alios tam feliciter Dux Corecius Samuel, ut victis, non uno prælio, Turcis, gravi rabie Achomatis Cęsaris animum commoveret. Ad extremum tandem, cum publicę desereretur, cæsus, in manus hostium venit. Cum vero, paulo post, alius,

Causæ quib⁹ Poloni ad recipiēdū Gratianū movebātur.

alius, collectus quoque privatim exercitus, in Valachiam introduceretur, & iniquitate fortunæ, ad Dziezam fluvium circumventus, paludibus, sylvis, insidiisque, clausus, ad internetionem, die tota concideretur; ita animus Mahometanis crevit, ut, quasi Poloniam, in tantillo exercitu, delevisſent, ad debellandam, si ita visum Superis, omnino animarentur. Cæterum quia, restincto privatorum bello, causa illis in publicum minus suppetebat, ad antiqua revoluti, Zaporoviensium Cosacorum incursiones obtendebant. Sunt autem Zaporovienses Cosaci, ad Borysthenem, vagus, infra Kyoviam, populus: qui, postquam, pulsis Tartaris, Tomakowkam, & alias Borysthenis Insulas occupavit, opportunitate prædaque allectus, Ponto Euxino se credidit; & Pyratica ad divitias crevit. Hos compesci, à Polonię Rege, Turcæ volebant. Et interim ipsi Tartaros in fertilia Podolię & Volhyniæ loca immittebant. Itaque utrinque querimonię. Ad extremum, ut controversiæ dirimerentur, à Turca Skinder Bassa, à Polonis exercituum Generalis Stanislaus Zolkevius, Commissarii constituuntur. Tum illud insigne Georgii Sbaravii Ducis, qui Barsada Oppidum publicæ paci donavit. Cum enim prolatis Skinder Bassa, Imperatoris sui litteris, quibus, nisi Bersada, cis Axiacen, hoc est,

est, parvum Borysthenem, Oppidum dirueretur, re infecta discedere jubebatur, ostenderet. *Ne Dij siverint*, Georgius inquit, *ut per me vestra & Reipublicæ Pax distineatur. Deferam mox in planum Bersadam. Patria illic causa & cura vacabit.* Et subjecto, per Piascovium, igne, delevit. Sed patuit per postulata ejusmodi, tentari Sarmaticam patientiam potius, quam pacem peti. Quippe jam Turcæ nihilo mitiores, injurias Cosacorum, Poloni ut persequerentur, instabant: callido dolosoq; consilio; ut illos, cũ Poloni exasperavissent, præmiis & libertate promissa, per defectionem, in eosdem averterent. Sed patuit dolus, et, re infecta, ab invicem discessum. Cosaci vero, vulgata de suo excidio fama, in Mohometanos atrociores, non jam proxima mari littora vastare contenti, interiora Turcarum exscindere sunt aggressi: tanta audacia, ut Constantinopolim ipsam suggressi, Imperatorem Venationi vacantem, intra mænia trepidum paventemque compellerent. Capi & abduci potuisse, si festinassent, argumento est, quod, incendio deletis suburbiis, Thracica præda graves, ad naves & propria impune migrarint. Tartari cum has clades vindicare velle præsumerent, Podoliam & florentissima Russiæ latera, urebant, vastabantque: sed tot cladibus fere, quot

Ex patrio.

Semel & iterum, inter Polonos & Turcas, frustra pax tentata.

quot incursionibus, ad sua rejecti. Itaque cum vetera utrinque redirent. Zolkevii iterum & Skinder-Bassæ conventus. Sed omnia vafrities Turcæ, & mutatio rerum discussit. Quippe jam, pro Achimate Cæsare, Osmanus filius imperabat, ferocis ingenii adolescens, & pro ætate incautus, qui vix vigesimum annum attingeret. Insuper improvidi adolescentis animus, à Legatis rebellium Ferdinandi Secundi Imperatoris Romani, propria causa, in Sarmatas accendebatur. Haud perinde formidoloso sibi futuro Germanorum Cæsare, si Poloni per acies distinerentur. Quid ergo? Orfinovium, super firmanda fædera, Constantinopolim, à Sigismundo Rege missum, ab aula Osmanus, à conspectu, ab Urbe repulit; & jus eatenus gentium, & legationis Sacra violavit. Hoc in Annum, post Christum natum, 1620 incidit, cum spem inter & metum Gratianus tumultuaretur.

Osmanus, Achomati succedens, ferocior in Polonos.

Cum ergo Polonis Bellum præ foribus esset, an in tutelam Valachia cum Gratiano recipienda, supervacuum videbatur discutere. Conditionibus certis admissus est, & in Patrocinium ille libens concessit. At jam Skinder-Bassa, non Commissarius amplius, sed belli Dux, Osmani jussu, militem colligebat. Et tanquam non

Gratianus à Polonis recipitur.

non cum Polonia tantum, ſed Valachia quoque bellum geſturus, extra ſuſpectæ Provinciæ limites, attamen in propinquo, delectus habebat. Omnia à vicino anxius ſpeculabatur Gratianus: & jam ſpe, fiducia, metu, ratione, ſubinde fluctuans, non uno modo diſtrahebatur. Aliquando, alio translatis opibus, circumſpicere fugam: aliquando, conſcripto exercitu, & Polonis juncto, Mahometanis cuſpidem ferrumque obvertere: quandoq; etiam, cum nondum omnem veniæ ſpem, apud Oſmanum, præciſam crederet, ad obedientiam ipſius, proditis Polonis, redire meditabatur. Præſertim cum Turcas (quos honoris quodammodo gratia, ſed revera ut ſecretiora ejus rimarentur conſilia, circa ſe habebat) nondum, ulla contumelia affectos, abegiſſet.

Skinder Baſſa in Valachiã movet. Dum hæret, dum incipit, dum deſiſtit, dum mutat, dum affectus varij, tractum in diverſa animum, lancinant, jam, accito Dialet Gereo Galga, Chami Reguli Scytharum fratre, & Kantimiro, cum numeroſis Tartarorum copiis, ingenti exercitu Skinder Baſſa appropinquabat. Tum vero Gatianus, vicino incendio magis ſollicitus, cum metuere, quibus conſilia jam ejus patebant, Turcas nimium quantum inciperet, neceſſario (niſi quidem perire omnino vellet) Polonos

lonos reſpexit. Et hi quidem jam ſeptem millia congregati, Stanislaum Zolkevium, Generalem exercituum Ducem, & Cancellarium Regni, non conditionibus, ut ante, cum Skinder Baſſa, ſed armis diſceptaturum, quoquo duceret, ſequebantur. Cæterum apud Sarmatas dubium erat, an in limitibus Regni hoſtem opperirentur, an ſuperato Tyra, in Valachiam & aliena tranſirent. Sed cum Gratianus, viginti millium ſtipulato exercitu, inſuper Turcicas extenuando copias, quæ centum millium erant, paucorum millium faceret, prior Sententia ſedit, & poſterior locum, cum applauſu omnium, habuit.

Et Zolkevius in Valahiã movet. Itaq; Zolkevius, cum prius ſe, cum Johanne filio Rubieſcovienſi Capitaneo, Sigiſmundo Regi, ſi ita viſum Superis, & Sarmatiæ piamentũ obtuliſſet, Tyram copias, inſigni militum alacritate, traducit. Ilico Valachiam univerſam, prona in majus ſemper & mendacium fama, perambulat, Polonos jam terra potiri, & numeroſo exercitu, armorum quodam diluvio, Moldaviam inundaviſſe. Fecit, verbo ſuo, Gratianus callide, famæ & mendacio fidem. Et præcipites, in temeraria arma, Valachi, Turcas, qui circa Gratianum adhuc, opprimentes, ſubito trucidavere. Verumenim-vero non deteſtabilis omnino audacia Va-

 lacho-

lachorum fuiſſet, ſi idem ad perſeverandum, qui ad incipiendum, animus hæſiſſet. Sed mox, paucitate Polonorum cognita, pænitentia ducti, cum ipſo Gratiano ſuo, fluctuavere. Nam & ipſi paulatim Polonos deſerere, & hic, Chocimum, conterminam Ruſſiæ arcem, flectens, quomodo, per Pokuce, in Germaniam fugeret, circumſpicere cæpit. Sed præoccupavit Zolkevius ea conſilia, & vana, inter inutiles moras, reſpondentem, ſeverioribus litteris ad caſtra vocavit. Quibus territus ille, certo ſi abnuiſſet, exitio, paruit: & paucis ſuorum comitatus, ad Polonos accedens, mutua invicem ſimulatione lætitiæ, fraudi litatum eſt. Zolkevius autem circumſpectus Imperator, de rei ſumma ſollicitus, ſincerum Skinder Baſſæ exercitus numerum, expiſcari ſtatuit: efficaci ad hoc, ſed fruſtraneo, tum quidem, Stratagemate uſus. Cum enim Gratianus Sobrius calliditati minus pateret, convivio primoribus Valachorum exceptis, propinari vinum largius imperavit, ratus, quod fieri aſſolet, poſt ſolutum curis animum, ſequuturam mox intemperantiam linguæ. Sed hac parte Gratianus impenetrabilis fuit: utpote qui exercito, per mercaturas, ingenio, inter cęteraMercurii ſacra, tacere didicerat. Onus ergo Caſtrorum Gratianus porro, nullum præſidium erat. Tan-

Gratianus in Caſtra venit

Tandem, ad Cetſoram, vetera Johannis Zamoſcii Caſtra, Zolkevius, cum ſuis, ingreſſus eſt: & Odrzyvulſio exploratum miſſo, Vallum & Foſſas interim, dirutas partim, & vetuſtate collapſas, reparari juſſit. Quod à militibus, Gratiani fallacia, procul abeſſe ſimulantis hoſtem, traductis. ea ignavia factum eſt, ut etiam, quod intempeſtivis fatigarentur operibus, cum murmure, palam indignarentur. Sed Odrzyvolſcius trepidus, inſequente hoſte, in Caſtra reverſus, non inertiam modo diſcuſſit, ſed, ad opus perficiendū, mutuam exhortationem induxit. Nec hoſtis tunc quidem certamen auſus, nocturna meditatione Belli, ad futurum prælium, militem acuebat.

Zolkevius, ad Cetſoram, caſtra munit.

Ut primum autem, diſcuſſa caligine noctis, Phœbus lucem Europæ gentibus attulit, priores Turcæ, & Tartari, vix dimidia tamen ſui parte, quadraginta millia congregati, in aciem cogebantur. Nec detrectavere Poloni certamen. Quin immo tanta ferocia hoſtem aggreſſi ſunt, ut latera frontemque reſolventes, alio ſubmoverent. Tum vero illud Hermanni Dönhoffij, ſtrenui bello viri, egregium: qui, cum leves Sarmatarū, alia parte, ad Hieraſſum olim, nunc Prutum fluvium. cohortes, à denſis Tartarorum catervis premi videret, aſſumptis aliquot equitum tur-

Prima Polonorū victoria An. 1620 16. Sept.

 mis,

mis,impetu tam opportuno subvenit,ut & reponeret hosti,eodem momento,periculum, & velites,vacillantes antea, ad ultionem accenderet; adeoque,eadem vehementia, Tartari, verterentur in fugam, quâ,ad victoriam,venerant. Et jam exitium hostibus imminebat, nisi pernicibus equis fecissent, ut deessent, qui cæderentur. Crevit hoc successu Polonis animus, & imperfecta victoria quodammodo irritati, ut absolverent, justi prælii aleam à Chiliarchis suis, & Zolkevio, flagitabant: tam importune, quasi in crastinum raptaturi prælium, nisi ducerentur. Et jam Zolkevius cum Tribunis, an committendum prælium, deliberabat, cum errabundus Tartarus, à vigilibus interceptus, centum millia hostium adesse primus dixit, & affirmavit. Ea res non modice, cum Ducibus aliis, Zolkevium ipsum turbavit, & in maturiorem, futuri prælij,aleam, deliberationem traxit. Sed inhærebat proposito miles, qui nullatenus tantam multitudinem hostium credebat, quia non viderat, & si fuisset, quur fugientem ejus diei aciem non restaurasset? Animum præterea faciebat, Zolkevij virtus, et, raro quodam Cælestium munere, nunquam interrupta hucusque felicitas: nec inassueti vel in Mosco-

Moscovia nuper, parva suorum manu, ingentes copias debellare. Zolkevius autem nihil de fortuna præsumere, & omnium circumstantiarum momenta considerare. Tandem, cum procul à domo, seu differret pugnam, seu anticiparet, subsidium nullum speraret, & annonæ caritas, incassum moras trahentibus, immineret, ardore & ferocia militum uti statuit: præsertim cum primis ausis, aut metum hosti, aut fiduciam gigni, non ignoraret. Militibus igitur, ad corpora curanda, dimissis, de sanguine hostium, & victoria cogitare jussit.

Postera die, simul ac illuxit, inclusa duobus carraginibus acies, ad hostem processit. Tum vero & Turcæ & Tartari, in acies conglobati, quo uno pugnandi genere valent, in Polonos impetu incurrêre. Sed, Theophilo Sembergio, tormentorum fulmine, hostem percellente, pari, à Sarmatis, violentia, sunt reiecti: tanto Tartarorum damno, ut difficilior ipsis, per cadavera suorum transitus, quam per exercitum esset. Inde, in aperto campo, pugna. Sed, multitudine abundante Turca, maiori Polonorum periculo, cum, inter Primores, Zolkevij duo, inclinantē restituentes aciē, telis frequentib⁹ obruti, equis, vindictam spirantes, defluerent. Samuel Korecius, autem non

Secunda Polonorū victoria, sed difficilis, & cruenta 17. Sept.

non ita pridem, Constantinopoli, captivitate elapsus, ultricia, in Turcarum cuneos, arma circumtulit, & inimicis suis immersus, qui consereret secum, singulari certamine, manum, acie tota quæsivit, &, cum fremitu, nullum invenit. Konecpolscius, primus, post Zolkevium, Dux & Collega, ubi Vexilliferum circumventum, à globo hostium, vidit, præcipiti inter hostium tela cursu fertur, & duobus, manu propria, trucidatis, Signiferum aquilamque Polonam servavit. Inde prælium anceps, varium: cum, dissoluta carraginum una, periculum ad Polonos rediret. Mox obfirmatos utriusque partis, in mutuam lanienam, milites, tenebræ diviserunt. Non infelix Polonis prælium videri poterat, cum Turcarum tria millia quingenti, Sarmatarum non nisi quinquaginta trecenti cecidissent: nisi, in tantillo numero, cæsorum etiam paucitas æstimaretur.

Panicus timor in castris Polonicis. Inde Sarmatarum castra panicus timor invasit: cum nox, pervigilium, tenebræ, diurni prælii difficultatem, in metum curamq; intenderent. Augebat Tartarorum, inassuetæ pertinaciæ, pugna, qualem antea nunquam expertos se meminissent. Insuper tot hostium millia, formidabiliori, quam antea, numero, mentem complebant. Facilem illis suorum jacturam esse, cum Hydræ illi,

illi, totidem quasi, quot resecarentur, capita, in prælium renascerentur. Illos à tam paucis conteri impossibile videri, se, si adversum quid contingeret, quasi unico ictu, resecari posse. Hæc omnia obscuritas & caligo noctis, nova novaque semper imagine, in majus porro fovebat. Quæ deinde illucescens dies, quasi in exitium imminens, alternabat. Ingessit opportunum tandem, Gratianus, flagitiosæ & erroneæ menti, scelus. Quippe ille, cum, præsentium rerum diffidentia, vereretur, ne traditus Skinder Bassæ, controversiam belli, supplicio suo componeret, medium se trepidantibus intulit, & aggregando pericula, ut suum evaderet, fugam suasit. Patere recto per Pokuce, aut per Transylvaniam, obliquo itinere, ad Penates, reditum, se, si sequerentur, Ducem fore. Alliciebantur his, faciles per metum, animi: & nihil, ad cætera, deerat, quam opportuna flagitio nox. Quæ ubi paulatim obscuritate pudorem obduxit, Gratianum timidissimi quique: hos, velut amentiæ quodam contagio, constantiores, ad Hierassum, seu Prutum fluvium, sequebantur. Et jam clamantium & tumultuantium murmur, ad Ducum, & Zolkevij aures ferebatur: qui, quid ageretur, ignari, vocantium invicem & abeuntium, strepitum sequebantur. Deinde, re cognita, cum, ne *Gratianus cum multis Polonis* fuge-

fugit, & interficitur. fugerent, nec persuadere Imperio, nec authoritate, nec precibus valuissent; amnis, sævitia hostium, & proprium cujusq; periculum persuasit. Interim, qui proximi Gratiano fuere, aut Hierasso amne absorpti, aut in adversum littus eluctati, à Scythis, & Valachis trucidabantur. Solus Gratianus exitium, quod evaserat, ad breve tempus, latebra distulit. Quippe unius Valachi tugurio, spe præmij, abditus, mox ejusdem perfidia trucidatur. Hoc unum ei, post mortem, indulgente fortuna, ut mors ipsa, in Proditore vindicaretur. Cum enim Valachus interfecti Principis caput, Alexandro, qui Osmani jussu jam Gratiano successerat, deferret, non præmio eum, non favore dignatus, simili in Proditorem ultione pensavit.

Nulli dubium erat, & expugnari, ea nocte, ab hostib9 potuisse castra, & copias potuisse deleri. Sed tutatus est tunc quidem Deus & fortuna Polonos: & aliam potius Tartaris Turcisq; mentem, *Zolkevii prudẽtia.* quam Sarmatas invadendi, dedit. Cum autem turbatio, pœnitentia, dolor, & quædam animorum verecundia invicem & confusio, inhabiles ad pugnam copias reddidisset: tum illud callide, à Zolkevio Duce, inventum, ut injecta spe quadam concordiæ, totos integros octo dies, Skinder Bassam, tractationum simulatione eluderet, & exercitum

citum interim & omnia confirmaret. Postquam nihil amplius irreverentiæ militum erga Duces, nihil discordiæ invicem, nihil in exercitu confusionis advertit, Classico milites ad Concionem vocavit. Tum venerabilis ille canitie rebusque gestis Senex, ferro per confertos egrediendo hostes, ad propria remeare persuasit. *Milites ad reditũ in Patriã adhortatur.* Quippe satius esse, si secus accideret, vel gloriosum in acie mori, vel, si faverent Superi, in Sarmatiæ suæ limitibus, pro salute Patriæ suæ excubare: quam in perfidæ Valachiæ finibus, & siti, & famæ, & inutili morte consumi. Inde caput suum, si aut dandus, aut hauriendus sangvis, in omnem fortunæ aleam devovit. Verbo, & multum, in senili pectore, non consilij modo, sed virtutis etiam virere ostendit: & constantia, nullique periculo cedente vultu, ad iter & alacritatem exercitum universum confirmavit. Itaque nihil jam, confirmatis ad omnia, deerat, nisi imperare.

Zolkevius ergo, præsenti militum alacritate usurus, extra Vallum, Munitionesq;, copias universas educit, & ad vesperam. 29. Septemb. ordine composito iter ingreditur. *Poloniam versus movet.* Tum demum delusos se tractationibus hostes sensere, et, tanquam ferro pudorem vindicaturi, ab omni latere circumfundebantur. Sed, fœda clade rejecti, ad oportuniora,

tuniora, inutilem violentiam, distulere. Transfeundus erat, mediâ noctis, Zolkevio fluvius: dimidia ergo copiarum parte, Polonica infestare agmina pergebant: dimidia, ad alteram, qua transeundum erat, fluvioli Ripam, præveniebant. Quis non, sic interclusis copiis, debellatum dixisset? evaserunt. Turbabantur quidem, primo impetu, fluitantes, labantesq;, Polonorum ordines: mox tamen, totis connixi viribus, cum gloria perrupêre contrarios, & ad alterius quoque diei auroram, inter infestas subinde, & inopinatas Barbarorum incursiones, viam continuaverunt. Tum vero profundam intrantibus vallem, vix spatio consistendi dato, tota Skinder Bassæ manus, in subjectos, è superioribus jugis, quasi Cœlo missa descendit. Aderant omnia ad terrorem composita, tympanorum pulsus, tubarum clangor, armorum fragor, totiusque exercitus clamor: quæ omnia in formidinem multiplicabant, pro vario Montium Valliumque situ, repercussæ voces. Et jam Barbari, non quasi ullatenus rejiciendi, sed exhortationibus mutuis, ad certam, conceptam animo, lanienam, præcipites in Sarmatas ferebantur. Secius accidit. Poloni enim, in orbem se colligentes, & quotidiano periculo cautiores, è jugis montium Tartaros Turcasque pronos; adeoque impotentes

Variis in locis constrictus, ferro viam facit.

Ejus periculũ & victoria. 1. Octob.

tentes equorum & [illegible], hastis, telis, bombardis, omnique armorum genere, certo Barbarorum exitio, excipiebant: sic ut nihil temerarijs fuerit, & audacioribus reliquum, nisi perire. Polonorum autem inconcussa acies, per hostium cæsorum cadavera, pedetentim progrediebatur, et, ingenti tandem gloria, in tutiora cacumina montium, felix evasit.

Non erat quod feceret amplius Skinder Bassa, cum hoc, quod certissimum videbatur, non successisset. A violentia ergo ad dolum conversus, ad Duces, ficta modestia, mittit. *Non intenecinum cum Sarmatia Bellum geri. Satis gloriæ sibi, si Valachiam recuperatam, suo Domino redderet: proinde conditionibus agerent. Satius esse stipulata Pace, cum fructu ad propria, quam periculo suo redire.* Patebant Zolkevio fraudes: Sed quia, à tot laboribus, erat necessaria militi quies, compendio duxit, vicissim simulare. Ad speciem ergo Christophoro Drusbicio misso, ipse interim militem, optata refocillatione, ad imminens, quod suspicabatur, prælium animabat. Providentia Ducis saluti fuit. Skinder Bassa enim, detento Christophoro, recentes jugiter copias accersebat. Inde, sufficienter confirmatus, in Polonos, prima diei vigilia, ut putabat, improvisus ruit. Sed,

Skinder Bassæ dolus frustraneus.

Experientio.

Sed, ſpe ſua deceptus, pari, qua venerat, violentia retro actus, non niſi pudorem & cladem domum retulit. Nec tamen ideo Zolkevium, ad veſperam rurſus moventem, inſequi & impugnare deſtitit. Sed tumulum ſtativis ejus imminentem, adulta jam die, præoccupans, Sarmatas Sagittis arcebat. Cæterum, per continua prælia, ad audendum etiam aliquid, lixæ & calones erecti, in clivum enitebantur, et, mirum! deturbatis hoſtibus, obtinuere.

Polonorũ periculũ & victoria.

Aderat jam quarta Octobris dies, & novum quidem, ut conſueverat, ſed prælium longe graviſſimum. Poloni enim immenſam planitiem, & undecunque inſeſſam hoſtibus, ingredientes, in omnia difficilia ſimul incidebant. Terra erat aquarum egens, et, qui tenui alveo præterfluebat, Reuta fluviolus, à Turcis inſidebatur. Pulvis inſuper, prætergreſſæ æſtatis ardoribus, ſolutus, & tenuis, cum à vento & equitibus moveretur, in ora ferebatur. Itaque, quo ad incommoda & circumſtantias loci, novæ hic iterum Cannæ. Sed longe Skinder Baſſa aberat à felicitate Annibalis, & Zolkevius ab infortunio Pauli. Quamvis enim Turcæ, vento, pulvere, opportunitate, pugnarent, Poloni tamen, cedere neſcii, è carriginibus, neceſſitate, & quodãmodo ex deſperatione pugnabant. Et virtu-

virtutis & conſtantiæ comes fortuna aderat. Hoſtes enim tam animoſe repulſi, ut præcipiti curſu ſe recipientes, obſtantes è ſuis occiderent, ut ignominioſæ fugæ viam facerent. In hoc tam periculoſo Certamine, ut mirabile poterat videri evadere; ita miraculo propius erat, viciſſe.

Turcæ de victoria deſperãt.

Tum demum deſperatio hoſtes invaſit, & Polonos, ferrea pectora, inexpugnabiles, inſequẽtis diei ſilentio, & languido tympanorum tubarumque ſonitu profitebantur. Itaque, cum octo dierum itinere, & continuato prope certamine, Skinder Baſſa, cum centum ſuorum millibus, in tam pauca millia, nihil effeciſſet, & jam ad Tyram non niſi ſtadia quadraginta reſtarent, ſtultum duxit, tanto cum ſuo dedecore, diutius quodammodo Pædagogum agere. Quare cum Dialet Gereo Galga, mœſtus, ubi tum erat loci, remanſit; ſolo Kantimiro, modica copiarum parte, poſtremum carpendo agmen, domum euntes, proſequi juſſo.

Seditio in Polonorũ caſtris.

Sed nihil actum tam inſigni virtute, tot præliis, tot victoriis, tantoque favore Cœleſtium. Quippe tot, ab uno hoſte, triumphos, ad extremum Sarmatæ, una fatali diſcordia & ſeditione, corruperunt, nec ob ullam aliam cauſam ſe ipſos in exitiũ præcipitavere, quam quia ſe evaſiſſe credebant. Ob direptas, in Gratiani fuga, & confuſione ex-

ne exercitus, à lixis quibusdam, militibus sarcinas, in limine patriæ tumultuabantur. Urgebat Zolkevius, Tribuni, & Centuriones, paucarũ horarum iter, dum superassent Tyram, absolverent: tunc jure legitimo, per otium, agi posse. Frustra. Jam enim in rapinam mutuam rixæ adoleverant: nec pessimæ simul ac inverecundæ rei, quæ posthabita reverentia Ducum, flagitiosè cæperat, modus inventus est. Ad extremum, nocte, inter quintam & sextam Octobris, media, nefas! fugiunt raptores, & cujuscunq; sceleris sibi conscia mens deserit: obvia tamen pœna: cum Tartari a- signa deserit: obvia tamen pœna: cum Tartari alios, præda graves, occiderent, alios Tyras in profundum raperet. Insuper Kantimirus, ex transfuga seditionem intelligens, accersitis Skinder-Bassæ, Galgæ, & Valachorum cohortibus, animis viribusque discretos, ab omni parte aggreditur. Et resistebant utcunque, primo impetu, Sarmatæ: ad extremum tamen, tenebris, multitudine hostium, et, quod maximum erat, suâmet confusione victi, obruebantur. Quæ tum, ô Superi! Zolkevio mens? Quis animus? Pudebat victoriosum tot annorum senem, ultimum hoc abominabile nefas, per seditionem, perditæ rei. Quid ergo? Ne vivus caperetur, se frequentibus hostium telis objectans, mori voluit; ut hac saltem parte, eatenus

à Turcis internetione delentur, nocte, inter 5. & 6. Octob. media.

nus de hoste triumpharet, quatenus ludibrio eximeretur. Factum est: Hoc ad ultimum glorioso facinore, quod Centurionem, oblato equo, sublevare volentem, abegerit, & frameâ inflicto vulnere, equum repulerit. Inde, ubi densissimæ hostium manus, contendens, mutilatus dextera, ignorantia demum nocturna, oppressus est. Konecpolscius ejus collega, & fortissimus Chiliarcha Hermannus Dönhoff, integram adhuc victoriam morabantur. Sed mox Tribunus Dönhoff, cum plurimos non ignobiles Turcas propria manu sua confecisset, ab irruentibus, velut in ultionem, undequaque hostibus, pluribus licet vulneribus & trucidando obvios debilitatus, pugnans tamen adhuc animansque suos, occisus est. Magnus profecto Heros, qui, in plurimis expeditionibus fortis semper, victoriosus sæpe, ad Cetsoram, paulo ante, indubiè Polonum exercitum fortitudine sua servaverat, dignam familiæ suę, ad arma natæ, mortem, pro Republica tandem subiit. Eo interfecto circa unum Konecpolscium universæ hostium vires. Et ille Zolkevium Dönhoffiumque, ut virtute, ita fortuna vitaque, sequi volebat. Sed ipsorum hostium insigni Stratagemate factum est, ne moreretur. Cum innotesceret enim Ducem esse, quasi ad prædam conversi, neglectum in acie deserunt,

Zolkevius interficitur.

Hermannus Dönhoff cadit

Konecpolscius capitur.

 & sub-

& submisso interim gnaro linguæ, qui, simulata fide, ductorem itineris fingeret, in præparatas insidias & captivitatem deduxere.

Zolkevii caput Skinder-Bassæ offertur. Hæc est illa, inter paucas, nobilis, Polonorum clades. Hæ Sarmaticæ illæ Thermopylæ, ubi Spartani illi, devota ab ingressu Valachiæ, fidei, Patriæ, Regique capita, occubuerunt. Cœterum, exorto die, cum ad spolia discurreretur, agnitum inter cætera Zolkevij cadaver, capite mutilatum. Quod ad Skinder-Bassam delatum, aliquamdiu ejus oculos pavit: seu Majestate vultus in longiusculum stuporem raptus: seu vicissitudine felicitatis humanæ in considerationem abreptus: seu etiam, quod, morti proximus, meditatione ejus, occulto ipso naturæ suæ Genio instigante, ultimo hoc edito opere, detineretur. Ut ut sit, pauculas duntaxat Zolkevium septimanas supervixit.

Zolkevij laus. Et hic est Stanislai Zolkevij exitus: Ducis, sua ætate, militaris rei scientia, nulli secundi. Prima, sub famoso illo Johanne Zamoscio, cognato suo, militiæ rudimenta didicerat: tam feliciter, ut, eo defuncto, in Generalem exercituum Ducem, inde in Cancellarium succedere mereretur. Moscovitico postea Bello, parva manu, numerosas fundere copias suetus, Basilium Szuiscium, cum Johanne & Demetrio fratribus, Sigismundo Regi ad

ad triumphum præparaverat. Domesticis porro inimicitiis, usque ad ultimam, & fatalem hanc expeditionem, conflictatus, tandem pro Patria, flagitio suorum desertus, invictus cætera, cecidit. Sed recte Seneca. *Laus Imperatori etiam victo, & Duci redditur, si & prudentia, & industria, & fortitudo, muneribus suis functa est.* *Lib. 7. de Ben.*

Interim Sarmatia male habebat, cum sub ignoto vulnere pessime laboraret. Nihil de suorum exitio sciebat, quamvis jam prudentiores aliquid adversi suspicarentur. Alij insectatum quidem exercitum, sed, victis difficultatibus omnibus, salvum ad sua redire, disseminabant. Alij obsessum à Skinder Bassa exercitum, sed resistere fortiter, subsidij spe: quod ipsis adducere non adeo difficile videretur. Alij, silentio rerum, vel quod ab aliis aliquid jam ipsi acceperant, deletas copias, fidelioribus sibi, aperiebant. Unde mox ingens, ut fit, per Templa, per Compita, per fora, rumor: quem subita in Russiam, victoriæ suæ licentia, Turcarum & Tartarorum irruptio, tandem confirmabat. Ingens inde, per universam Poloniam, metus, quem Turcæ, immissis per Urbes & Oppida incendiariis, quibuscunq; poterant modis, augebant. Sparsa Cracoviæ, per plateas, in partes dissecta cadavera; ut alibi digi- *Varij, de exercitu, in Polonia rumores.* *Metus & prodigia per Poloniam.*

 ti,

ti, pedes alibi, brachia & nares alibi, nusquam tamen capita reperirentur: perinde ac si Regnum à Turcis, cum Author & occisi ignorarentur, veneficiis & devotionibus peteretur. Aderant & Naturæ, vel à Deo immissa prodigia. Crebri & frequentes Leopoli, Cameneci, Luceoriæ, Halicii, horridiores etiam per Valachiam, terræ motus. Rupti ibi aliquot montes tumuliq; sedêre: ut, ubi juga fuerant, jam, horrendum! specus, & aquarum scaturigines viserentur. Hæc rumore ipso in immensum aucta, proclives ad credulitatem & inania mentes, novis subinde & pessimis imaginibus variabant. Schismatici, Unitis infesti, ne mortuis quidem parcentes, Divina humanaque miscebant: et, inter alia, Josaphatum Konczevicium, Polocensem Archiepiscopum, posito pudore, Vitebscii, summa crudelitate, trucidarunt; Deo, sanctitatem Viri, miraculis postea prosequente.

Inter hos tumultus & hæc Reipublicæ vulnera, Sigismundus Rex, neutiquam desperans, erectus stetit. Et de remediis recte sollicitus, in Publicis Regni Comitiis, Johannem Carolum Hotkevicium, Palatinum Vilnensem, Generalem exercituum, per Lithuaniā, Ducem, Virum Moscoviticis, & magis Livonicis victoriis clarum,

Sigismundi III. solicitudo circa Regnum.

rum, in Zolkevii Locum, Poloniæ quoq; Generalem nominat: & Stanislaum Lubomirscium, Wisnicensem Comitem, Collegam ei adjungit; Virum fortitudine victoriisque probatum, & vel maximè insigni liberalitate præditum; quippe non immemorem hujus Senecæ. *Nunquam magis nomina facio, quam cum dono.* Supremo Cancellariatu, Zolkevii quoque morte vacantem, Andream Lipscium Luceoriensem Episcopum ornat. Decretum insuper adversus Turcas, sexaginta millium exercitu, bellum gerere. Tum per totius Poloniæ Regiones delectus habiti, & inhibitum, ne quisquam militum, auro argentoque cœlatus, quod alias familiare Polonis, in castris compareret.

De Vit. bea.

Dum hæc autem in Sarmatia geruntur, interim in Turcia non feriatur. Summa autem rerum, post Osmanum, in Hali & Skinder Bassis erat. Et Skinder Bassa quidem, difficultatem victoriæ pensans, & minuta prælia multa, in unum magnum, summamque rei contrahens, alienus à Bello, Pacem suaserat. Hali Bassa autem, Præfectus aulæ, inexpertus Belli, uno in Polonos odio formidabilis, per adulationem eos sæpius ad aurem debellabat; adeoque pronum Osmani adolescentis, ad Martem, animum, facile expugnabat.

Osmanus adulatoribus aurem præbet.

bat. Præsertim cum SkinderBassam,inevitabile fatum,ad plures transtulisset. Tunc enim Osmanus ferociæ suæ relictus, post tantillam, de Sarmatia, nuper victoriam, debellandi studio ferebatur. Accendebant jugiter Hali Bassa & adulatores: esse Regnum accessu facile, nullis montibus clausum, insuper præsidio, novissima clade, nudatum. Nihil amplius desiderari, quam numerosissimo illud exercitu quodammodo inundare, & sui juris facere: nemine præterea, post Skinder Bassæ mortem, ruentem in prælia juvenem, retinente. Vere Sapiens Romanus. *Omnia sane excluserit opulenta felicitas: monstrabo tibi, cujus rei inopia laborent magna fastigia, quid omnia possidentibus desit. Scilicet qui verum dicat, & hominem, inter mentientes, stupentem, ipsaque consuetudine, pro rectis blanda audiendi, ad ignorantiam veri perductum, vindicet à consensu concentuq; falsorum. Non vides quemadmodum illos in præceps agat extincta libertas, & fides in obsequium servile submissa, dum nemo ex animi sui Sententia suadet, dissuadetq;, sed adulandi certamen est, & unum amicorum omnium officium, una contentio, quis blandissime fallat? Ignoravere vires suas, & dum se tam magnos, quam audiunt, credunt, attraxere supervacua, & in discrimen rerum omnium perventura Bella: utilem & necessariam rupere concordiam: secuti iram, quam nemo revocabat, multorum sanguinem hauserunt, fusuri novissime suum: dum vindicant inexplorata pro certis, flectique non minus existimant turpe, quam vinci, & perpetua credunt, quæ in summum perducta maxime nutant.*

Lib. 6. de Ben.

Hac adulantium sibi corruptela Osmanus quoq; depravatus, fiducia debellandi, jam quasi in titulis numerabat Sarmatiam, quam nondum attigerat. Ut autem in Provinciæ formam redigeret, tanti tamen æstimavit, ut universum, Vastissimi sui Imperii, corpus commoveret. Itaq; per Asiam, Africam, & Europam, delectus habebantur. Ægyptus, Arabia, Syria, Pontus, Natolia universa, Græcia, Macedonia, Thracia, arma, militem, apparatum, expediebant. Accersebatur (non, nisi ad præsentiam Turcici Imperatoris, castra sequi suetus) Dziambet Gereus, Magnus Tartarorum Chamus. Et jam (ut fama refert) ad septies centena millia hominum, ad parem Xerxis exercitum, Constantinopoli miles conveniebat. Quicquid toto Imperio virium, quicquid Janizarorum & Mamaluchorum, quicquid alibi roboris erat, comparebat. Aderant ad magnificentiam & terrorem, peregrinæ Belluæ, Elephantes. Camelorum vero & jumentorum innu-

Universas Imperii sui vires contrahit.

innumerabilis multitudo. Diceres Tamerlanem vel Attilam revixisse, & Orbem debellatum iri. Profecto qui aderant adulatores, tum vel maxime, ad inauditum antea apparatum, fallacius obstupuere: prorsus eodem modo, quo, de Xerxe, Seneca. *Alius aiebat non laturos nuntium Belli, et, ad primam adventus famam, terga versuros. Alius nihil esse dubij, quin illa mole non vinci solum Sarmatia, sed obrui posset: magis verendum, ne vacuas desertasque Urbes invenerint, & profugis hostibus vastæ solitudines relinquerentur, non habituris ubi tantas vires exercere possent. Alius, illi vix rerum naturam sufficere, angusta esse militi castra, explicandis equestribus copiis campestria, vix patere Cœlum satis ad emittenda omni manu tela.* His similibusq; vocibus animatus Osmanus, credulus & incautus adolescens, his portentosis copiis, ut præoccuparet Danubium, agglomeratis passibus, Valachiam versus movebat.

Lib. 6. de Ben.

Et jam fama adventantis Potentissimi hostis Poloniam pervadebat; cum Vladislaus Princeps, electus Magnus Moscoviæ Dux, hunc, suo parem animo, deposcere hostem, & Osmanum hunc, alterum veluti Xerxem, sibi à Patre Sigismundo debellandum permitti, rogare non destitit. *Habet enim hoc in se generosus animus, quod*

Vladislaus affectat advers' Osmanum mitti.

Senec. Epist. 39.

conci-

quod concitatur ad honesta. Neminem excelsi ingenij Virum humilia delectant & sordida: magnarum rerum species ad se vocat & extollit. Sigismundus Parens, Generosissimi filii precibus, ut flecteretur, adductus est: cum & singularem ejus indolem, virtutem, fortitudinem, perspectam haberet, & felicitati adolescentis quoque à puero multum confideret. Itaque, cum Stanislaus Lubomirscius, promptioribus copiarum assumptis, Tyram præoccuparet, & transitum Polonis, ab utraque fluvii parte, munitionibus, si quid hostis moliretur, firmaret: cum Johannes Carolus Hotkevicius, incertum consilio, an quod hostem tanti non æstimaret, alias, Jaroslaviæ, nuptias celebraret, ad bella & prælia se præparavit. Delectus fortissimorum, non plurimorum, militum, ratus multum ab exercitu turbam distare, sedulo procurabat. Quorum cum octo millia in armis haberet, jam non ulterius cunctandum ratus, itineri se accinxit.

Priusquam autem Urbe egrederetur, istius non immemor, *à Jove principium*, Summum Warsaviæ Templum, pro felici expeditionis eventu, vota facturus, ingreditur. Tum vero populus tota Urbe concitari: circumsistere aras: complere sacraria, portas, vestibula, Scamna, &

M editio-

In templo Vexillum in Turcas accipit. editiora loca, quacunque aſpici poterat, cum litigio, præoccupare: in Vladislaum corpora oraque protendere: & interim, dum paſcerentur oculi, fiduciam inter & metum, ſollicitudinem inter & ſpem, animo tumultuari. Subibat enim Oſmani Imperatoris potentia, exercitus Turcici ineffabilis multitudo, campus Sarmatarum ſanguine frequenter imbutus, & ſub Stanislao Zolkevio, bellicoſiſſimo Viro, noviſſima, fortiſſimorum militum, clades. In hæc omnia, tam infauſta, tam ardua, tam periculoſa, & eventu ſummè dubia, modicis hiſce copiis, adoleſcentem immitti. In contrarium rurſus variabat animos, perſpecta adoleſcentis, à puero, indoles, & ſtupenda virtus: inde militaris rei, ſupra ætatem, comparata ſcientia, cui confidere plurimum, ab hâc emanantes victoriæ, docuiſſent. Inſuper, divino Cœleſtium munere, fluentia ex voto omnia, oblatum ultro juveni, quam ſperatum erat, à Moſcis Imperium: Verbo: nullo unquam infortunio bellico corrupta & interrupta felicitas. Inter hanc mentium & rationum luctam, Franciſcus Diottalovius Nuntius Apoſtolicus, Sacrificium Miſſæ peragebat. Quo propemodum jam finito, admotum altari juvenem intuens, omnia illi, à Domino exercituum, Deo, felicia, fauſta, fortunata,

nata, ſolenni precatione, & aſtantium omnium votis, expetiit. Inde, benedicto adoleſcenti, vexillum conſecratum, in eoque triumphalem teſſeram, & victoriâ præſcriptam, cum hoc vere Chriſtiano lemmate, *pro gloria Crucis*, in manus tradidit. Accendit amplius Chriſtianam turbam, lecta in vixillo cauſæ pietas, & egredientem Eccleſia Principem, votivis acclamationibus proſequebatur: ambigua interim, cui eventui, cui fortunæ permitteretur: rediturumne aliquando cum victore exercitu; an ultimum jam & ſupremum videns, proſequeretur.

Sed mox omina non infelicia ſcrupulos extenuabant. Vix, relicto limine templi, publicam ingredienti viam, mulier obviam progreſſa, auſpicium boni eventus, binos panes obtulit. Quid aliud hoc, niſi proſperorum fertilitatem, & non unam, geminata felicitate, victoriam portendebat? Vultus, inter allapſum populi fluctusq;, adoleſcenti plenus ſui, proſperæ gerendæ rei fiducia lætus, & quaſi victoriam & triumphum ſpirans; inſuper animos omnium, diſcuſſis anguſtiarum nebulis, ſpei ſerenitate illuſtrans, quid aliud erat, quam occultum, triumphantis in corpore Genij, felixque præſagium? Certiſſimum erat, quia contrarium Oſmano acciderat. *Omina victoriæ circa Vladislaum.*

Constantinopolim ille tristi, & in prodigium rugosa facie egressus erat. Terruerat eum Patruus Mustaphas, cui in somnis sæpius Osmanus visus, quem prodigiosæ magnitudinis serpens persequeretur. Ipsimet Osmano, nocturna quiete, obversata Patris feralis imago, minas intentaverat: egredientique, cui maxime insueverat, pavida è somno mulier, ac si profusum manantemque cruore vidisset, illecebris metuque adhæserat. Dissuadentem insuper expeditionem, insigni probitate virum, iratus occiderat, immemor eum Osmanum quoque nominari. Ibant ergo in invicem, ætate propemodum & statura pares, cæterum armis, animis, omnibusq; diversi, adolescentes: relinquentes, quo se inflexura felicitas esset, Terrarum Orbem, sui exspectatione, suspensum.

Omina cladis circa Osmanum.

Interim Osmanus, per Capudzi Bassam, Vevellium Italum Candiensem, Christianum licet, compositum tamen ex astutia & calliditate virum, cum litteris, ad offerendam pacem, in castra Polonica miserat: vel quo promptiores ad bellum Sarmatas, injecta concordiæ spe, segniores redderet: vel quo metu, ut putabat, territos, ad eas, quas ipse proponeret, pacis conditiones, invitaret. Sed Lubomirscius, in castra non admisso Vevellio, omnia ad Hotkevicii adventantis præsentiam distulerat. Hic autem, postquam cum Lubomirscio sese conjunxit, Theophilum Szembergium cum litteris Vevellio addidit, & Osmano, non esse, nec fuisse unquam Poloniam, à pace, alienam, indicavit.

Osmani dolus.

Hotkevicius autem, in utrumq; sedulus, licet Szembergium pro pace dimisisset, necessaria bello non minus providebat. Quoniam vero, ad summam rei, non parum facere judicabat, Cosacorum, cum exercitu suo, conjunctionem, eos continuis nuntiis accersere non desistebat. Illi autem repugnabant, nisi Tyram copias universas traduceret, & juramento, nullatenus pacem aut fœdus Regem & Rempublicam Polonam inituram, nisi iisdem conditionibus reciperentur, caveret. Alterum, fide obligata spopondit; alterum opere ipso statim adimplevit. Hotkevicius enim, ipsius etiam Sigismundi Regis jussu, exercitum, qui præter Vladislai Principis octo millia, non nisi septendecim millium erat, decimo septimo Kalendas Septembris, in alteram Tyræ ripam, in Valachiam, ad Hotimum Oppidum, vacuum tunc, &, præ timore, desertum, transtulit: postquam octavo Idus Augusti Lubomirscius ante-venisset.

Hotkevicius Cosacos accersit.

Copias trans Tyram, in Valachiã ducit.

17. Kal. Sept.

Castra deinde locata, ut à peritissimo militarium

Polonicorum castrorū dispositio. rium rerum, Duce, loco maxime opportuno. Tergum tutum faciebat Hotimum Oppidum, arce, in prærupto & excelso sita, munitum. A fronte planities fundebatur, eliciendo hosti, conferendæq; pugnæ, oportuna; coercita tamen prolixitate, nimiæ multitudini inutilis, & in qua uti se toto hostis non posset. Lævum latus ad Tyram fluvium protendebatur: ad cujus propinqua, valles, & humus modo depressa, modo elata, inæqualiter sinuabatur. Dexterum virgulta pone internata, sylvasque, & cavas etiam vias, sinusque habebat, struendis occultandisq; insidiis aptos. Istud Hotkevicius sumpsit. Lubomirscius in dextero consedit. Media Vladislao Principi relicta sedes.

Hic suo, quem secum habebat, exercitu, ad Tyram, ut erat avidus conficiendæ rei, jam quoque pervenerat: & protinus in Hotkevicii castra concesisset, nisi providentia illi non nihil cunctari suasisset. *Vladislaus providet ne Turcæ in Sarmatiam ruant* Verebatur ne, viribus in unum collatis, per sublicium, à Turcis confectum, pontem, Osmanus partem sui exercitus, in Sarmatiam subinde immitteret, & indigenas, pro quibus servandis in prælia proficiscebatur, Turcæ depopularentur. Insuper ne à fronte se cum exercitu præliante, Barbarorum incursionibus aditus occuparentur, & eatenus Sarmatis à tergo subsidium & penu

penu clauderetur. Quā provide hoc & prudenter! Jam in istud consilium, à Bernavio Valacho, vetusto in Polonos odio, & per frequentia Podoliæ latrocinia claro, persuasus Osmanus propendebat. Sed hac Vladislai Principis cautela, insuper nuntiata Kantimiri clade, et, paulo post, paucorum Cosacorum fortitudine retardatus, sententiam in pejus flexit.

Kantimirus castra Polonica aggreditur. Kantimirus, antequam, quem maxime abesse volebat, Vladislaus Hotkevicio sese conjungeret, aliquid audendum ratus, quinque selectissimorum Tartarorum millibus, Hotkevicii castra accessit. Tribus millibus, adversam Lubomirscii castris, sylvam occupavit. Duo millia, ad Tyræ marginem, destinata Zaporoviensibus Cosacis castra, celeriter transire, & à latere inopinatos Polonos agredi jussit. Factum fuisset, nisi Piotrowscius, tum forte ab excubiis Tyræ rediens, in illos, jam transgressos fossam, fortuito incidisset. Aderat ergo huic, quod primum hostile apparuit, pugnandi necessitas: sed periclitanti, excitati, per tumultum pugnæ, viciniores, subsidio venere. Tum vero, promptissimo quoque deleto, cæteri in fugam versi. Acrior cum Lubomirscio pugna fuit. Jam enim Kantimirus oppugnatum venerat Lubomirscii castra, ne periculum à leva imminens, à distractis, impetu suo, Polonis, adverteretur.

tur. Sed, illis duobus millibus, cum clade, rejectis, Lubomirſcius non ſuſtinens ſe oppugnari, educens copias in apertum prorupit. Tum vero tam acris, continua, et, præter Tartarorum morem, pertinax pugna, ut vir viro, pes pedi conjungeretur, & alterum alter amplexus, mutuis vulneribus ſternerentur. Immo Tartarorum unus inventus eſt, qui, per confertiſſimos Polonorum ruens, non ante pugnare deſiit, quam, perfracto capite, ante ipſa munimenta concideret. Lubomirſcio dedecus videbatur, tam diu cum vili hoſte pugnari. Ut ergo inſigni aliqua virtute, impoſterum ipſi confidentiam demeret, denuo, ut ipſius ſequerentur exemplum, animatis militibus, ſua cohorte, quaſi recepto ſpiritu, in pertinaces invehitur. Reliquæ ipſius copiæ, exemplum Ducis imitabantur. Quid porro? Ceſſere Tartari, & ad ſylvā denuo verſa fronte, hunc à tergo pertinaciç ſuæ fructum reliquere, quod tecto late cadaveribus campo, eundem ſanguine ſuo purpurarint.

Pertinax Tartarorum pugna.

Inſignis eorum Clades. Anno 1621. 31. Aug.

Vevellius interim, Szembergium circumducendo, à Polonicis ad Oſmani caſtra, ab invicem non niſi ſedecim Leucis diſtantia, migrando, viginti & unum dies inſumpſit. Noviſſime, paſſim ludibrio habitum, ad Oſmanum perducit. Hic, immane! quantum facilitatem Polonorū, ut metum

Oſmani præſumptio & Tyrannis.

tum acceperit: non aliter ac ſi debellaſſet, quos ad concordiam pronos videret. Ergo, quaſi peracto bello, finem incōſtantiæ perfidiæq; vindicta facturus, Valachos, quos, ob innatam ipſis levitatem, cōtemnebat, omnes trucidari jubet. Quadringenti ferme, quos veſcētes ſimul dies, ſimul quietos nox habuerat, diverſis è tentoriis, à Turcis, extracti, interſectique. Nec Alexander, Princeps eorum, eandem & ante ſe Principum ſortem evaſit. Exitus ejus eam cauſam famamque habuit, quod prohibere tranſitum Polonis in Valachiam & Hotimum firmare præſidiis omiſiſſet. Peracta hac cæde ferox, quaſi parta ingenti victoria, triumphabat: non conſiderans, facile eſſe inermes captosque occidere, & fere idem quod Martialis:

Barbam vellere mortuo Leoni.

Cœterum hanc intempeſtivam & inſipientem quodammodo ejus ferociam, centum triginta, ſed armati, ſed in acie, Coſaci humiliavere. Horum quadraginta millia, ſubſidium bello, & debitum Imperatoribus Polonis ferentes obſequium, per Valachiam appropinquabant. Quacunque vero ibant, cædes, populatio, terror; adeo late, ut Alexander, paucis ante finem ſuum diebus, Urbem Valachiæ Jaſſum, omni fortuna, apparatuque belli inſtructam, præ metu deſeruerit. Sed ea, à Coſacis inta-

Quadraginta Coſacorum millia verſus caſtra Polonica proficiſcuntur.

intacta, ab ipsis Valachis direpta est: nam Cosacorum populatio cauta, intra Oppidum Sorokam stetit.

Jam vero memorabile illud, & inauditum hactenus ab ulla gente, paucorum Cosacorum, fortitudinis & virtutis exemplum, posteris consignare aggrediar: & vererer ne, propter insolentiā sui, fidem alibi inveniret, nisi scirem Thermopilas invenisse. Una cohortium, centum triginta numero, longius effusa, cupidine prædæ, inter Kutnerum & Sotsavam Oppida, à Turcis circumventa est. Attacta, impugnata, pressa, tam diu, tam ferociter restitit, ut, desperata victoria, Barbari, plurium legionum opem, à Cæsare invocarent. Osmanus, audito Cosacorum nomine, eorum jam ante audacia, & sæpius accepto damno, provocatus, ut in illis sævitiam suam expleret, & gentem universam, in hac quasi manu, vindicaret, ad delendos, immane exercitus sui corpus, insigni levitate movet: et, triginta passuum millia emensus, in aperto campo adeptus est. Cæterum jam septuaginta eorum, conspecta innumerabili Turcarum multitudine, pavore correpti, ad proximas montium specuumque latebras, profugerant. At quanto gloriosius erat mansisse? Timoris & ignaviæ pæna quasi obvia fuit. Osmanus enim ora specuum, sarmen-

Paucorũ Cosacorũ prodigiosa virtus

sarmentis virgultisque complens, igni fumoque vivos suffocavit. Reliquos sexaginta, tot centenis millibus hominum circumdatos, vivos capere nitebatur. Illi vero orbe facto, vim vi repellere, cędere alios, alios obtruncare, & perniciē in hostes vertere, indefesso robore non desistebant. Immo opportuna occasione, erumpentes, promptissimo quoque trucidato, inter cæteros, Kur Bassam occidunt, & aliquot hosti vexilla eripiunt. Osmanus desperans jam vivos capi posse, dirigere tormenta jubet, & immani machinarum gutture, immixtos flammis globos, in pertinaces, jaculari: ut, si quo modo posset, hoc saltem victoriæ frueretur, tantillam manum campo dimovisse. Frustra fuit. Omnia quippe adversa, Cosacorum constantia vicit, & igneos tormentorum globos, ad adultam usque noctem, fortiter toleravit. Tunc beneficio tenebrarum, virtute, aut fraude, penetrare hostes tentavere. Non adfuit fortunæ favor, quæ, Herculeis plane viris, non in longum vitam, sed in sæcula famam, extendere decrevisset. Ergo retro acti, carragine se claudentes, rotas curruum suorum defodiebant, terra obruebant, & scrobes moliebantur, quibus, adversus tormentorum ictus, tuti, ex occulto, in patescentes, irruentesq; jacularentur. Quod plus fortassis famæ, quam fidei, habitu-

 rum

rum eſt: per triduum Oſmanus, infinita mortalium multitudine, in hanc tantillam, taliter munitam, manum, armis, tormentis, ferroque incubuit, & incaſſum. Reſtitit enim illa fortiter, & ſuffecit. Ad extremum, non arte, non marte ſubacta: ſed dum invicem, ut cuſtodias fruſtrarentur, vitabundi, ſecundo, per noctem, effugium quærunt, ſinguli in manus hoſtium venere. Macte beatiſſimos, meo judicio, viros, & Lacedæmoniorum gloriam longe ſuperantes. Illi quippe trecenti, & ad Thermopylas: hi non niſi ſexaginta numero, & in aperto campo, parem Xerxis exercitui multitudinem fatigavere. Et primi omnium, maximo Turcarum ludibrio, Orbi patefecere, hanc immenſam molem poſſe debellari, cum pauci ſuſtinuiſſent. Ipſe Imperator Oſmanus, videre cupidus homines, qui tot per annos, vires Turcicas ſpernerent fatigarentq;: qui tam parvo numero, in miraculum creſcente audacia, quodammodo generis humani vires deriſiſſent, omnes in conſpectum ſuum adduci juſſit. Adducti, quot à tormentorum globis ſupererant, triginta numero, et, prout illis nulla cultus affectatio eſt, plerique laceri, & tantum ſagulo leves. Mox ergo pudore, indignitate, ira, in rabiem & crudelitatem verſus, ut erat pronus ad iſta Oſmani ani-

ni animus, direptum à latere ferrum, amplius quam denis immerſit. Inde fatigatam manu ſua ſævitiam, porrecto alteri ferro, explendam tradidit: ut eorum ſaltem palpitantium exſpirantiumque aſpectu frueretur, quorum in acie vigorem tolerare non ſuſtinebat. Inde fortitudine virorum in animum redeunte, duorum, qui nondum interfecti reſtabant, vitæ pepercit: non miſericordia aliqua, ſed calliditate ductus, ut altero, muneribus blanditiisque corrupto, corrumpendis viciſſim Coſacorum caſtris, & pollicitationibus, ad defectionem, ſollicitandis, uteretur: alterum, pro emiſſo, fide data, morte ſua, ni ſe ſiſteret, compenſanda, pignori ac vadimonio, pro alterius reditu, reſervaret. Quod ut eo commodius fieret, & Coſacos, ab Hotkevicii caſtris, ſegregaret, aditus omnes, quibus tranſeundum erat, univerſo exercitu præoccupavit: ut, ſi quid emiſſus, ad alienandos animos, Coſacus effeciſſet, occaſione uteretur.

Interim, quo per ſimulationem quietis, deſtinata ſegregaret, remittere Szembergium jubet, ſpem pacis Hotkevicio oſtentans, ſi arma poneret: interjectis minis, ſi in contrarium niteretur. Additur ſimul Vevellius, litterarum comes & actor. Quam inania humana conſilia! Utrobiq; *Oſmanus fruſtra Coſacos ad ſe allicere tentat.*

 ſpe

ſpe ſua deceptus eſt. Coſaci enim, ſpretis promiſſis, armisque Cæſaris, compoſiti munitique inferunt ſe porro in medium ipſius agmen. Turcæ, circumfuſis undique copiis, animosè reſiſtebant: quaſi jam rejicere millia quadraginta confiderent, cum ægre, non ita pridem, ſexaginta eorum potuiſſent. Itaque, per ſemineces, per integros, Coſaci pergentes, multa tandem Turcarum cæde, in liberum & Polonica caſtra emerſere. Idem dies ipſos & Szembergium, cum Baptiſta Vevellio, ad Hotkevicium tulit: & collocati à dextera caſtrorum parte, qua Tyras præterfluebat.

Coſaci ad Polonica caſtra emergunt.

Cæterum Hotkevicius, præſentiens Oſmani & Vevellii ludificationes, repoſitis in ſinum ſuum litteris, Oſmano reſpondit, antequam perlegiſſet: & paucula admodum, obſcura, et, tenui mentione pacis, contemptum potius, quam reſponſum ſapiuntia. Quam provide & prudenter id fecerit, apertæ mox Oſmani litteræ oſtenderunt. Turcico enim ideomate ſcriptæ erant: qua relicta, ſi pacem ſincere voluiſſet, familiari aliqua Polonis lingua uſus fuiſſet. Sed jam hoc, ab Hotkevicio, nefas vindicatum erat, antequam viſum. Itaque Vevellius Ludificator, non incorreptus, à Polonis remiſſus: & interdictum pariter, ne, ſi de cætero ludificari præſumeret, reverteretur. Oſma-

Hotkevicij prudẽs factum.

Oſmanus, ſpe ſua dejectus, his Hotkevicii litteris, magis in ultionem excanduit: nec vana erat, nec ſine viribus ira, ſi, ut inſtructa numero, ita virtute fuiſſet. Promovit interim caſtra, ut, ſi poſſet, Sarmatas multitudine & præſentia ſua terreret. Primũ vis magna pulveris appropinquare viſa. Dein, magis magisq; exagitata arida humus, latius ſuffudit cœlum, denſaque caligine montes & plana intexuit. Nec mirum: cum præter equorum, ad pugnam adductorum, vim, ſupra decem Camelorum: bubalorum vero, neceſſitati & cibo deſtinatorum, ſupra viginti millia, tenuioris arenæ cumulos commoverent. Ad hæc quatuor inuſitatæ magnitudinis Elephantes, magnificentiæ Barbaræ cultum, & delicias portantes, mole ſua fatigabant humum. Centum quindecim grandiores machinæ, quarum aliquæ quinquaginta quinque librarum globos impellebant, numeroſis boum jugis trahebantur. Inſuper infinitus ille exercitus: tot equitum, tot centena peditum millia, ſuis diſtincta legionibus, gradiebantur. Tandem, quater mille paſſibus, à Polonorum caſtris, ſpatium, quantum in tria eminentia juga exurgebat, expandebaturque; tantum, ſupra citraque fuſis in immenſum agminibus, occupavere. Tum credita magis, cum imma-

Oſmanus caſtra ſua, Polonicis caſtris opponit. 2. Sept.

Turcicorum caſtrorum facies.

immanis illa exercitus innumerabilis moles visa est. Quamvis nec integra videri potuerit, cum extrium montium planis devexisque sparsa, expansa, pendula, vix oculis terminari posset. Dilapsa nonnihil pulverulenta caligine, erectoque prætorio, signum, ad sua promiscue figenda tentoria, datum est. Tunc immensa illa castrorum facies, in canitiem velut hybernam, quasi momento exalbuit. Humiliora usq; ad Tyram, suis seorsim castris, Tartari occupavere: cætera Turcæ.

Osmanus castra Polonica despicit, & oppugnat. Inde Osmanum juvenili ferocia & curiositate plenum, cupido, distinctius Sarmatica videndi castra, invasit. Altissimam itaq; cum Primoribus suis turrim ascendit, & paucitatem Polonorum, & castrorum angustias contemplatus, præ multitudine sua contemnens, in temeraria vota erupisse dicitur, non gustaturum se panem, priusquam & hæc expugnata fuissent, & Sarmatæ internecione deleti. Approbavit, felix sæpius antea, Ussaim Bassa, Silistriæ præfectus votum, & summam sibi certaminis, ab Imperatore permissam, alio æque temerario voto, non reversurum se nisi victorem, obligavit. Et, quod periculosissimum erat, devoti, in aciem, Turcæ, mutua alacritate coibant. Actum erat de Polonis, si ad eorum

eorum excidium vota valuissent. Sed illi, contra animosi, tanti non æstimavere, ut, relictis castris, in apertum prorumperent, aciemque, ante ipsa munimenta, instruerent. Lubomirscio dextrum cornu permissum, Hotkevicius sinistrum duxit: quicquid ad Tyram vergebat, obiectis levibus munimentis, tenuit Saporoviensium Cosacorum exercitus. Hos adoriri prius Turcis visum, quod clausis nondum, commissisque cum alijs, munimentis, etiam itinere fessos, opportunos magis, & faciliores fore opinarentur. Quo Poloni autem distraherentur, Dziambet Gereū, ipsis, & Kantimirum, cum Tartarorum exercitu oppoſuere. Initium pugnæ à Tormentis in Cosacos exonerandis factum. Qua præiverant globi, Turcarum fortissimi, & solennius devota capita, sequebantur. Iamque oppugnatio pertinax erat, maiore, cum frustra peterentur, Cosacorum fiducia. Addidit hanc, effusum ad spectandum, ex Hotkevicij munimentis, castrense vulgus. Rati enim in subsidium id sibi venisse, protinus ex munitionibus, in apertum, effusi, in Turcas ruunt. Tunc, ubi clamore concursuque invicem consonuere arma, qui spectatum venerant, fugiunt, & unâ, quod antea alacritatis attulerant, secum auferunt. Itaque incumbentibus, majori nisu, Turcis, gradum paulatim

O

tim retro, ad munimenta, dedere. Oportune laborantibus ſuppetias Hotkevicius tulit. Quippe, intentus ad omnia, diſcrimen viderat, & jam proximam, prout inſtructa ſtabat, Coſacis ſubſidio, legionem admovebat. Mox omnia proniora his, graviora Turcis: & quo minus, votorum obliti, ſtatim fugerent, ſui memor, Uſſaim Baſſa retinebat. Pudebat enim generoſo animo Ducem, toties victorem antea felicemque, jam ultimo, juramento devotum, ſucceſſu irrito, indignabundi Imperatoris faciem ſubire. Pugnabat ergo jam, non vincendi fiducia, ſed retrocedendi metu. Removit hoc unum, ad plenam Coſacorum victoriam, fortuna obſtaculum, & obnoxium ictui, Siliſtriæ Præfectum, Uſſaim Baſſam, ignea, è militari tubo, glande coſtas traiectum, è medio ſuſtulit. Tunc fugientes Barbari, ignominioſa ſuorum clade, perfectam, ſub crepuſculum veſpertinum, Hetkevicio & Coſacis, victoriam reliquere. Quam feliciter dimicatum fuerit, ſparſus cadaveribus campus, ditantia ſagulo leves Coſacos Turcarum ſpolia; & quinquaginta tantummodo è ſuis deſiderati, oſtendere. Captus inſuper Minoris Aſiæ Præſidis cognatus: ſed, non uno vulnere ſaucius, vitam liquit. Lubomirſcio dextroque cornui indictum ſæpius clamore bellum, quam geſtum fuit: ſeu di-

Vſſaim Baſſæ mors, & Polonorum victoria.

ſtractis,

ſtractis, mutua diſcordia, animis: ſeu, quod victoriam, poſt Turcas, Tartari deſperarent.

Oſmani rabies & Polonorũ de promovendis armis, deliberatio.

Quæ inde Oſmani rabies! Quæ Sarmatarum alacritas: Ille triſtitia, moroſitate, furore, familiaribus ſuis intolerabilis, temere effuſi juramenti, acceptæ cladis, & victoriæ hoſtium pœnitens, ſibi ipſi tormentum erat: & pertinaci, in mentem propriam, crudelitate, intempeſtiva temeritas vapulabat. Hi, multiplici felicitate animoſiores, jam de armis ulterius inferendis, & promovendis, in penitiora Valachiæ, caſtris, cogitabant. Ejus ſententiæ ſenſusque Hotkevicius ipſe erat: Homo revera magnanimus, qui gerere bellum, quam ducere: victoriam potius domum, quam pacem: gloriam meditari, quam quietem, mallet. Sed alii, ſcrupuloſius omnia ponderantes, contrarium, hærendumque cenſebant: eſſe enim quandam etiam, in cunctatione, victoriam: periculum in proſperis, fortunam ſuſpectam in felicitate ſemper. Nullum deinde, ad vincendum, potentius telum videri, quam ex neceſſitate hoſtis non pugnare.

Principis Vladiſlai prudẽtia.

Cum hæc controverſia diſſentientium finem non inveniret, omnium ore concluſum eſt, Vladiſlaum Principem, qui in procinctu erat, exſpectandum, ejusque ſententiam, aut ſi quid hac de re

Sigis-

Sigismundus Parens illi in mandatis dedisset, hoc audiendum, amplectendumque. Hic autem vere Regius adolescens, insigni providentia, Sarmatiam, de cujus salute agebatur, ab incursu hostium, pro virili tutatus; hoc insuper prudentissime providerat, ut in tempore laboranti exercitui, de commeatu prospiceretur: incassum fortitudinem & vigorem sperandum ratus, si inopia & egestate debilitato corpore, ad solita & egregia, militis animus, sollicitaretur. Cum jam autem utcunq; exercitui prospectum esset, & coætaneum æmulumque suum Osmanum, oppositis castris, ferociam suam exerere, Sarmatas impugnare, & victoriam meditari, inaudiit; ut ætatem ætati, Majestatem Majestati, & temerariæ, adversarii sui, ferociæ, solidam virtutem opponeret, junctis cum Hotkevicio copiis, trajicere Tyram, destinavit. Multis, generosissimi adolescentis, præceps ad heroica animus, scrupulo erat. Quippe non nisi viginti quinq; Polonorum, quadraginta Cosacorum millibus, & Reipublicæ, & illius salus, committebatur. Quibus tam paucis copiis, potentissimum Terrarum Orbis Monarcham, & quasi generis humani vires aggredi, plurimis minus consultum videbatur. Sed vere Sapiens Latinus. *Fortitudo contemptrix timendorum est: terribilia & sub jugū libertatem*

Hotkevicio se cōjungit. 3. Sept.

Senec. Epist. 88.

tatem

tatem nostram mittentia, despicit, provocat, frangit. Ergo, quod dicitur, *virtute Duce, comite fortuna*, Tyram trajiciens, reliquo exercitui se conjunxit. Tunc Hotkevicius, Lubomirscius, & Primates cæteri, adventum congratulati, & festis tormentorum, in Turcica castra, boatibus, gaudium subsidiumque suum testati, ad determinandam præcedentis diei controversiam, convenere. Tutissima, Principi Vladislao, placuit: depromptis etiam, hac superre, Patris sui Sigismundi litteris: quibus, non omittendam prælii aleam, aut porro promovenda castra, si certa se offerret occasio, jubebatur. Alias cunctari magis suadebant, donec cum tota, Sarmatiæ universæ nobilitate (quæ centum septuaginta millium fore dicebatur) subsidio castris veniret. Promptum quoque tunc diploma dicitur, quo, multo Hotkevicii cū honore, modus tamen præscribebatur id aggrediendi, in quod Commissarii, ad id Bellum à Senatu dati, consensissent, ivissentque simul cum eo in suffragium. Quod quanquam civiliter ille accepisset, secus tamen promiscue creditum: præsertim cum in fatalem deinde morbum incideret; quem ex mœrore limitatæ potestatis, toties antea obsoluti Imperii Dux, contraxisse dicebatur. Ut ut sit: omissiori exinde, velut in dolore animo, bellum gessit.

Cæ-

Cæterum Osmanus, audito fragore, de adventu Vladislai Principis lætantium Polonorum, sequenti die aciem instruxit: Ut, si quando facultas daretur, concurrentibus invicem copiis experirentur. Non visum filio Regis, itineris molestia nauseabundo, pro tunc, collatis signis, præliari: sed, immissis subinde agminibus, impetum æmuli, frequenti velitatione, elusit. Osmanus postera die, quasi prelio vicisset, quia obtulerat, ferocior factus, oppugnare iterum castra præsumpsit. A prima Luce, ad meridiem usque, tormentis machinisque prælusum: post meridiem, quasi refectis prandio ad laborem corporibus, ab omni latere in munimenta incubuit. Sed nullum, ubique à Vladislao Principe, & Lubomirscio, animatis militibus, & resistentibus acriter, periculum erat; nisi ad unum exstructum muro Fanum. Hoc à Polonis non satis munitum, & nonnihil eo tempore, incuria quadam, neglectum, à Janizaris premebatur. Et jam in propinquo erat, ut expugaretur, cum, animadverso periculo, Rochanovius, peditem Vladislai, Germanicasq; cohortes, eodē, magna vi, rapiens, violentiā Janizarorū, alia quadam maiore vi, fregit, & quasi à limine exegit. Osman⁹, nihil in Polonos proficiēs, facile sentiebat, nisi quidē ej⁹ diei oppu-

Polonicorum castrorum irrita oppugnatio. 5. Sept.

oppugnationem plane irritam vellet, alio impetum transferendum. Ergo in Cosacos, tota exercitus sui mole, vertitur. Sed illi quoque, strenue rejectis Barbaris, talem addiderant virtuti dolum. Multis, ante ipsa castra, excavatis scrobibus, in eas se dimittebant, et, eatenus adversus tormentorum ictus toto corpore tuti, secure eminus hostem impetebant: cominus, inopinato exsilientes, improviso terrore & impetu in fugam Turcas conjiciebant. Laudabili profecto Stratagæmate, nisi crescente paulatim ex successu audacia, omnia, apud gnaros jam fallaciæ hostes, temeritate corrupissent. In redeuntes quippe, & Stratagæmate retrocedentes, solito fervore invecti, dato signo, accepti in medium, à lateribus cingebantur. Et jam, omni ex parte pressis, exitium imminebat; cum velitum, & Germanicæ Vladislai, cohortes, auxilium tulere: et, reserata ferro via, ad castra eis reditum aperuerunt. Vix evaserant, cum alia Turcarum fallacia deciperentur. Rumore disseminato, capta Turcarum à Cosacis tormenta, loco, ob magnitudinem, moveri non posse, iterum eos ad temeritatem invitavere. Traxit quippe hæc vox, per se concitatos, ulterius: tantoque ardore campum, nullo amplius ejus defensore, superarunt, ut ante, sub ipsa hostium suorum castra, procur-

currisse se adverterent, quam putavissent. Tum vero Barbari, omnibus, in eos, portis erumpentes, simul illos, & venientem subsidio ipsis, cum peditibus trecentis, Morendam, extortis duobus vexillis, ad castra retro compulere. Opportune cavatam in scrobes humum, Sclopetariis Germanis Vladislaus impleverat: hi enim, in effusos ad victoriam Turcas, probe, longioribus tubis, collineantes, fuso ex insidiis glandium imbre, impetum cohibuere. Majora in invicem molientes tenebræ diremerunt.

Atrox facinus in castris Polonicis. 6. Sept. Sequentem diem, atroci facinore, Poloni, ne fastum reddidere. Ducenti circiter Valachi, ex alimoniæ venditione, quæstum exercebant. Ad eos ventitabant infimæ plebis homines, aleatores, lixæ, servitia, pretium luxus, jam pecunitores, jam pignora deponentes. Postea, cum hæc ipsos per lusum & libidines defecissent, versa in crudelitatem pœnitentia, tempus condicunt, quo, Valachis ferro trucidatis, sua per internetionem eripiant. Igitur, signo dato, tabernas effringentes, transfigunt alios, alios mactant, in flumen alios mergunt; tanta sævitia, ut, felicitate quadam denuo ad littus ejecti, rursus in gurgites propellerentur. Miseranda & deformis ubique facies; cum sanguis, rapinæ, furor, invicem miscerentur. Nefas erat,

erat, & severe puniri debuerat: sed cum per tot mortales flagitium manavisset, authore in patibulū acto, reliquis, ne vulnus, talibus circumstantiis, medendo irritaretur, Duces ignovere.

Jam septima Septembris dies erat: quam audaci fortitudine sua, & memorabili hostium suorum strage, Hotkevicius nobilitavit. Occasionem hæc, à vigilibus Polonorum, male vigilantibus, habuit. Illi quippe, more recepto, longius ante vallum curare soliti, cum periculi eos in aperto tederet, stationem fossa munivere. Ea confisi, defixis pro terrore vexillis, negligentius ipsi agere, somno humi procumbere, solita munia custodiasq; remittere. Adnimadversum id à Turcis, captatoque, quo maturitas lucis securitatem, calor soporem pariebat, sub meridiem, tempore, solutos metu, repente adorti, trucidatis duobus præfectis, stragem latius circumtulere; adeo, ut ablatis duobus vexillis, abductisque ad castra duobus scloporum plaustris, numero aucti, animosiores in præliū reverterentur. Qualis, ad nuntium rei, Hotkevicius erat, felicissimæ temeritatis! Ille ægritudine corporis suis neglecta, arma, per iram & indignationem, induit. Et, assumptis tantummodo quatuor hastatorum signis, insolitum castris suis nefas, vindicatum ivit. Jam vix ad teli *Audax Hotkevicij fortitudo.*

jactum pervenerat, cum, concitato calcaribus equo, sex Turcarum millibus sese immersit; adeo ut fusis à lateribus, tergoque, Barbaris, haustæ penitus viderentur. Solus armorum fragor, strepitus conserentium manus, vibrata in invicem tela, & fluitantia signa, vivere testabantur. Spectantium alios stupor, commiseratio alios, quasi projectè morientium, invadebat. Felix tandem eventus, stupentium, commiserantium, omnium denique, utriusque exercitus, spe metuque ambiguos animos, explicuit. Ad extremum enim Barbari cessere Polonis ex necessitate pugnantibus: et, ingenti clade fracti, præcipites, ad sua castra, revolvebantur. Quot ceciderint, tradentium negligentia, in occulto est: plurimos autem cecidisse vel ex hoc ipso patet, quod sesqui hora pugnaverint, & cum facibus, totam noctem, Barbari, colligendis nobilium suorum cadaveribus, insumpserint.

Poloni prælium offerunt: Turcæ detrectant. Hotkevicius, memorabili hac pugna victor, adeoque ferocior, adnitente Vladislao Principe, aciem insequenti die instruxit, & pugnæ copiam fecit. Tum vero patuit, quantum præcedentis diei audacia, & victoria partum: cum, succincti tantis viribus Barbari, tamen de victoria desperarent. Itaque, ad crepusculum usque vespertinum, agentibus in acie Vladislavianis, cum nulla Tur-

Turcarum signa comparuissent, rursus, triumphantium more, se ad castra recepere. Inde modestiores Turcæ, & Sarmatæ, non insultantibus adeo Barbaris, magno & continuo labore defuncti, fortunæ indulgentia, quiete fruebantur. Et si alicubi velitationes, certe ipsorum pugnantium tantum erant, non commoventibus ideo se reliquis copiis.

Porro utrumque exercitum, intolerabilior ferro, dira fames urgebat: Polonos quidem non adeo, à Vladislao Principe, non ita pridem adhuc, ad aliquam temporis moram provisos: Cosacis autem infestior erat, sua ipsorum, & Borodawcæ Ducis negligentia. Hic, Petro Konaszevicio, ob morum severitatem, à Cosacis deposito, ipsorum electione successerat: non quod melior esset, sed ad corruptā indulgentiam pronior. Omnia, sub hoc, impune, flagitia, in Patrio promiscue ac hostili Solo, per fas nefasque, perpetrabantur, & umbraticus ille Dux, ad Cosacorum arbitrium, ipsorum violentia, trahebatur. Adjecerat hoc ultimum nefas, quod, futurorum improvidus, non frumentum & victualia copiis, nō equis alimenta providisset: prorsus quasi, ad debitum, Polonicis exercituum Ducibus, obsequium præstandum sufficeret, venisse. Itaque, *Fames apud Cosacos.*

 con-

consumptis, quæ obvia sibi rapuerant, in proficientem in deterius quotidie famem incidebant. Quare, in Borodawkam rabie versa, illi, suam ipsorum licentiam, pravam ipsius indulgentiam, & cætera, propter quæ ipsum elegerant, vitia objiciebant. Occasione usus, cum aliis copiarum Ducibus, Vladislaus Princeps, ipsorum Cosacorum consensu, Borodawcam deposuit, & Konaszevicium, plurimis, sub se, in Moscovia, strenue gestis gloriosum, priori loco restituit. Tum cætera quidem in melius, præter unam famem redibant, quæ periculosa in tam corrupto populo, & tam vicino hoste erat. Tum illud egregium Stanislai Lubomirscii fuit: qui, distincto per turmas & cohortes exercitu, sua ipsis propria alimenta distribuit. Inde Vladislaus Princeps, præsentia sua, & donativo, per Commissarios, quinquaginta millium florenorum, promisso, ad perseverantiam illos porro animavit.

Vladislaus Borodawcam ipsorum Ducē deponit, & Konaszevicium ipsis præficit.

Ut autem aliunde, adeoque ab ipso hoste penuriæ subveniretur, placuit, Konaszevicio suadente, nocturna Turcicorum castrorum, invasio. Itaque, data tessera, secunda ferme vigilia egressum castris. Insuper id provisum à Vladislao Principe, ut, si quid adversum Cosacis contigisset, sequentibus à tergo suis Germanorum cohortibus, virtute gentis, & armorum pondere, firmis, protegerentur. Et jam in eo erat, ut per intermissa custodiis loca, nihil sentientes sopitosque Barbaros, Cosaci invaderent, cum repente imber, ingentibus procellis fusus, cohibuit impetum, & indignabundum ad castra militem retro egit. Saluti illum imbrem exercitui Turcarum fuisse plerique dixerunt. Certe ut transfuga Turcis periculū, quod evaserant, enarravit, tanta turbatio Osmanum, tribunos, & universas copias, invasit, quasi prorsus factum fuisset, quod fore in propinquo fuerat. Inde omnia attentiori frequentiorique vigilia munientes, occasionem animumque Cosacis, denuo resumendi, sustulerunt.

Cosaci nocturnā Turcicorū castrorum invasionem parant: sed à pluvia impediuntur.

Cæterum, præter bellorum & penuriæ mala, Turcarum castra, contagiosa lues invaserat: eo funestius, quod, vergente jam ad senium anno, Ægyptiis, Syris, Arabibus, & quasi ab alio Cœlo hominibus, inassuetus Europæus, maxime Septentrionem versus, aër officeret; ipsa insuper multitudine virus conferente: ita ut multa quotidie millia morerentur. Et tanto indies magis in pejus malum proficiebat, quanto Autumnus adultior, dierum accessione, fiebat. Quid ergo? Osmanus multum, singulis fere momentis, de fero-

Calamitates exercitus Turcici.

ferocia priſtina & præſumptione remittens, & irrita caſtrorum obſidione implicatus, an abiret, an adhuc moraretur, ambiguus fluctuabat. Et jam apparebat pudore magis, quam virtute reſiſtere. Tandem ad petendam pacem inclinatior, obtulit victoriæ confeſſionem, majoremq; ejus lætitiam quod cogi videretur. Itaque per Radulium, poſt Alexandrum, Valachiæ Principem, Vevellius iterum cum litteris, ad ferociorem quotidiano ſucceſſu, Vladiſlaum, Hotkevicium, Lubomirſcium, cæteroſque Polonorum Primates, mittitur: qui, Epiſtolâ petitam pacem, ore perſuaderet. Nec abhorrebant Sarmatæ, maxime ob Coſacorum penuriam famemq; ſolliciti. Placuit Jacobum Zelenſcium, decora proceritate corporis, & prudenti animoſitate inſignem, cum Vevellio, ad Oſmanum remittere. Tum truces Turcarum, ipſo veniente, vultus, verba, minæ, & alia plura, ad terrorem compoſita, quo Zelenſcii animum, Polonorum conſilia, ex perterrefacto ejus vultu verbiſque, quoquo modo, colligerent. Cum vero imperterritus ille, nulla ad pavorem inclinantia reſponſa redderet, minus ſimulatione larvati, ſincerius agebant. Et ſucceſſiſſet, ut videbatur, negotium pacis, niſi interveniſſet, quo Oſmani, ex facili præſumptuoſior,

Oſmanus pacē petit: ſed Karakaſſii Baſſæ adventu cōfirmatus, ad bellum reſilit.

ſior, animus, ad nova Belli conſilia recruduiſſet.

Cum enim Karakaſſius Baſſa, recentibus veteranorum copiis, ex Hungaria veniens, paucis, poſt Zelenſcium, horis, caſtra Turcica intraviſſet, quia peritiſſimus Belli habebatur, & probatiſſimus miles palam audiebat, tantos, ex adventu ejus, Oſmanus reſumpſit ſpiritus, quaſi jam debellaſſet, quos nunquam ſine clade tentaverat. Itaque, quamvis nupera ignominia & temeritate doctus, non vovere, meminiſſe debuerat, tamen iterum, cum ipſo Karakaſſio Baſſa, ad vota converſus, juramento ſe obſtrinxere, *Nuſquam ſe, niſi in expugnatis caſtris, cænaturos*. Adeoq; jam Oſmanus, veluti eventus proſperioris certus, editiorem iterum locum aſcendit, ex quo proſpiciens pugnam, victoriæ ſperatæ deliciis frueretur. Omnia in contrarium cecidere: & Oſmanus, pro imaginario lenocinio viſus, non niſi oculorum & populorum ſuorum afflictionem ad animum retulit. Quippe Karakaſſius Baſſa, cum exercitum Polonum corona cinxiſſet, bipartito impetu, ad Lubomirſcianam portam, & Weieri Dönhoffiorumque Germanorum ſtationem ferebatur. Quippe pro uno Hermanno Dönhoff, jam duo, Martiæ ejuſdem familiæ, Germani fratres, Magnus, Erneſtus, & Gerhardus, in præ-

Graviſſima, à Karacaſſio Baſſa, Polonicorū caſtrorū oppugnatio. 15. Sept.

in prælia ſuccedebant; adeoque pro uno Dönhoff in acie nuper occiſo, jam pari fortitudine duo pro Republica dimicabant. Itaque Karakaſſius ab his magna clade repulſus, cum ex Hungaro transfuga, extenuata crebris eruptionibus Moſſinii ſtativa intellexiſſet, illac violentia verſa, perrumpere conabatur. Quod ut eo citius, & antequam ſuccurreretur, fieret, Turcæ ex equis deſilire juſſi, intermixti peditibus pugnavere. Aderat Karakaſſius, inſtabat, etiam in periculis exemplo præibat. Erat tum videre Vladislaū Principem mediū inter Imperatorem, & militem, et, unà cum Lubomirſcio, præſentia ſua, & opportuno ſubſidio, milites animantem. Itaq; & ibi Karakaſſius cum clade repulſus, iterum in Weieri Dönhoffiorumque Germanicas cohortes, nunquam ſine ſtrage tentatas, vertitur. Et addit illum oppugnationi dolum, quo Stratagemate quodam recederet, & inſequentes, & à lateribus, & à tergo concluderet. Et ſucceſſiſſet fortaſſe, niſi contrario aſtu, Karakaſſii Baſſæ fallaciam, Lubomirſcius retudiſſet. Cum enim Weieri Dönhoffiorumq; Germanicæ copiæ, in dolosè fugientes, longius ſe concitaſſent, & Turcæ, flexis ad prælium equis, ab omni parte incumberent, Lubomirſcius, circumactis quibuſdam Sarmatarum turmis, Barbaros à tergo

tergo invaſit. Tum vero acerrimum, & quale nunquam antea, prælium, præſertim ſubinde novas copias Principe Vladislao ſubmittente. Itaque ipſe tandem Karacaſſius Baſſa, inter confertiſſimos pugnans, dubium à Germanis ſub Weihero Dönhoffiisque, an Polonis ſub Lubomirſcio, ſternitur. Quamvis non deſint etiam qui à Lubomirſcio propria manu interfectum, aſſeverent. Ut ut ſit. Senſit ilico caſum viri utraque acies: & quantum remittebant Barbari, Sarmatæ proficiebant. Noviſſime, fremente, deſuper omnia ſpectante Oſmano, præceps Turcarum fuga & ſtrages. Adeo ut, ad noctem usque, Sarmatæ Germanique trucitando feſſi, ſanguine hoſtium ſuorum, licet ſitibundi, ſatiarentur. Quantum apud Vladislavianos gaudium, tantum apud Oſmanidas, ob quatuordecim millium fortiſſimorum militum, & ipſius Karacaſſii Baſſæ jacturam, luctus & mœror. Præfectum hic Budæ in Hungaria egerat, & multa olim feliciſſime auſus, ad extremum, viciſſitudine rerum, Sarmatis ad ignominiam fatumque patuit. Sed recte apud Senecam Diocles Caryſtius inquit. *Una eſt ad fortunam ſecuritas, non toties eam experiri.*

Karacaſſius Baſſa occiditur, & Polonorũ ingens victoria.

Lib. 7. Controv.

Verum-enimvero Oſmanus, recenti hoc acQ cepto

Osmanus pacem inter & bellum fluctuat. cepto vulnere, ad concordiam iterum propendebat: sed anxiam & labentem momentis ad diversa mentem, tum Regum omnium Principumq; ad hujus, ab initio, tam formidabilis expeditionis exitum, intentio oculique, tum sex annorum & amplius apparatus, sine ullo successu, Polonicorum castrorum scopulis illisus toties, comminutus, & prorsus inhabilis porro ad alia redditus, retinebant. Projectas ad hæc gazas prope infinitas, & computum fere, in exercitum innumerabilem, excedentes impensas considerabat.

Dum hisce similibusq; Osmanus anxius, hinc inde fluctuat, geminum, sic jubente Vladislao Principe, rursus illi à Cosacis malum. *Cosaci castris Turcicis damnum inferunt 18 Sept.* Hi, bipartitis noctu copiis, medietatem adversus Turcarum vigiles locant, altera, per observata Tyræ vada, pubetenus, nemine sentiente, in ipsa Turcarum castra transiere. Ibi, incisis tabernaculorum funibus, somno sepultos suffocant, aut, tegumentis in ora projectis, trucidant. Sic cedes, aliquamdiu, frequens & magna, sine tumultu. Tandem, animadverso periculo, arma præparantibus Turcis, Cosaci qui in hostium castris erant, illis qui adversus vigiles extra præparati stabant, signum dedere: quibus, signis & clamore reciprocantibus, consternati in medio Turcæ, vigilesque ipsi, fugerunt, & Cosa-

cis, onustis Barbarorum spoliis, ad propria, viam fecere. Idem, biduo post, noctu, rursus ab ipsis, & feliciter æque tentatum. Tunc, per observata sibi vada, Tyram transeuntes, Taki Bassam, Turcarum pontem, trans fluvium custodientem, noctu invadunt, & omnibus, aut ferro, aut aqua, necatis, ipsum Taki Bassam, in lectulo repertum, occidunt: & spoliis Barbarorum graves, sine damno, ad castra se sua recepere. *Iterum damnum inferunt, & Taki Bassam obtruncant. 20. Sept.*

Hac duplici clade damnoque rursus irritatus Osmanus, ne omnino contemptui haberetur, vindicias meditabatur: præsertim cum Johannem Carolum Hotkevicium, exercituum Generalem, post novissimam suam victoriam denuo ægrotantem, paulo post obiisse nuntiaretur. *Hotkevicii mors. 24. Sept.* Hic enim, cum instare sibi, commune omnibus nobis, fatum adverteret, regimine & Imperio suo, in Stanislaum Lubomirscium Comitem Wisniczensem, translato, ex castris, in arcem Hotimensem, deferri se jusserat, et, biduo post, solutus humanis curis, inter mortales esse desierat. Magnus profecto Heros, gloriosissimus & victoriosissimus miles, quod, inter cætera vel ex eo patet, quod in Livonia ad Kircholmum, tribus tantummodo suorum millibus & trecentis, sedecim, sub Carolo Sudermanniæ Duce, Suecorum millia, luce cla-

 ra,

ra, marte aperto, acie utrimque instructa, fuderit deleveritque: Et jam novissime quatuor hastatorum signis, sex millibus Turcarum in fugam versis, quasi in triumpho suo conderetur. Cæterum Lubomirscius, si, confecto feliciter bello, ad propria victor reverteretur, templum vovit *Jesu Christo Salvatori.* Audivere Superi vocem, votique compos, solvit in Wisnicz postea, quasi commilitoni Deo stipendium.

Pium Lubomirscii votum.

Cæterum Osmanus, Hotkevicii morte, Polonos fore faciliores existimans, extrema tentanda duxit. Itaque quicquid virorum in castris & virium erat, in aciem productum: tracta & in alteram Tyræ ripam, Cosacis obversam, viginti quinque majora tormenta, additis Tartarorum circiter triginta millibus, ut, si occasio se offerret, in perturbatos, ut sperabant fore aliquando Cosacos, trajecto celeriter flumine, à latere inveherentur. Nonaginta circiter aliæ machinæ, obversæ castris. Tum vero ea rerum facies, ut ruere Cœlum, & ipsa turbari elementa viderentur. Ipse Vladislaus Princeps, ut præsentia sua aderat, & verbis milites, & factis, animabat, sine periculo, ea die, non fuit: nam & proximus illi, è custodia unus, tormenti ictu stratus laceratusque, & circumvolantia undique, & ad ipsos quoque pedes cadentia, è machinis

Novissima Polonicorum castrorũ oppugnatio.

Vladislai Principis virtus, & periculũ.

chinis grandioribus, tela, imperterritus risit. Quippe *avida,* ut Anneus, *est periculi virtus, & quo tendat, non quid passura sit cogitat: quoniam & quod passura est, gloriæ pars est.* Ergo omni parte Osmanica vis circumfusa castris, quasi unum undique prælium faciebat. Sed hoc quoque Principis Vladislai felicitati fortuna indulsit, ut primus Turcarũ impetus, à suis, sub Weiero, Dönhoffiisq;, Germanicis legionibus, retonderetur. Inde in Lissovienses, loco & munimentis inferiores, versa ferocia. In hos, torrentis instar, extremo conatu illati, pulsi, pellentes, nullo suorum cadentium metu, ferebantur. Perrumpere eorum munimenta, vallum ascendere, milites conturbare, audacia supina laborabant. Sed, quemadmodum nulla tempestas magna perdurat, ita quasi momento circumacta res est. Szembergius, haud procul vallo, repentinam, editiore loco, munitionem extruxerat: hanc septam levi aggere fossaque, undique frondibus arboribusque texerat, ut objecta hostium oculis, speciem internatorum virgultorum redderet. Inde duo tormenta, & aliquoties denos pedites, ibi abscondit. Lubomirscius interim, ab omnibus cohortibus, decimo quoque abstracto, assumpta insuper, è custodia Vladislai Principis, cohorte, laborantibus subveniebat. Sic alia qua-

De provid.

Turcarũ strages & Polonorũ victoria.

quadam majore violentia rejecti Turcæ, non suspectis Szembergii virgultis, tegere se & recolligere laborabant. Tum vero Szembergius in confertos tormentis detonuit, & ingenti glandium imbre inopinatos obruit. Erumpunt pariter, & ex insidiis, & ex castris Sarmatæ, intolerabili Turcis impetu, & miseranda Barbarorum strage. Adeo ut nihil jam, per mortuos, per semineces, per vulneratos, proficiens ad ulteriora fervor, nisi cedem, cruorem, & sanguine purpuratam humum faceret.

Osmanus pacem petit & impetrat. Agnovit, hac novissima clade, inferiorem se Vladislao Principe, virtutique Polonicæ, Osmanus Imperator: & prosperiora desperans, Vellium, ad pacem sincere petendam, & cum eo Zelenscium, quem hucusque detinuerat, remisit. Profecti Stanislaus Zoravinscius Castellanus Belzensis, & Jacobus Sobiescius palatinides Lublinensis. Quia autem in celeritate multum momenti erat, instrumentum, in quo conditiones conceptæ erant, ut signandas Senatoribus & Commisariis offerret, apud Andream Soldrscium Secretariũ Regium, & Vladislai Principis Cancellarium, deposuere. Disceptatio diu tenuit, circa coërcitionem pœnamque Cosacorum; pari pertinacia, quod in Cosacos Turcę cupiebant, id in Tartaros

taros ut fieret, Sarmatis postulantibus. Quæ controversia, cum inexplicabiles utrimque exitus haberet, oblivione condonatis consepultisque injuriis invicem, Sobiescius ad castra rediit, & instrumentum à Soldrscio, & à Lubomirscio litteras ad Osmanum accepit. Inde ambo Legati, in conspectum ejus admissi, post solita venerationis officia, & conditiones, & Lumomirscii literas obtulere. Accepit Osmanus omnia, necessitate potius, quam aliqua bona voluntate ductus. Pax autem in antiquas fere conditiones convenit: nisi quod hæc, honorifica Polonico nomini adjicerentur. *Ut Constantinopoli Sarmatiæ Reges, more aliorum Regum Principumq́, perpetuum Legatum haberent. Quemadmodum navigatione Borysthenis, Zaporovienses Cosacos Rex arceret; ita Cæsar quoque Tartaros Bialogrodienses, Tehinenses, Kilienses, Dobrucenses, & Crimenses, ab incursionibus contineret: nec ultra Otzakovium exire permitteret. Nullus deniq́ ad Valachiæ Principatum, nisi initiali fidei lavacro tinctus, eveheretur, nec ullatenus Turcicæ religionis admitteretur.* *Cõditiones pacis initæ: An. 1621. 10. Oct.*

Et hic est finis famosissimæ per terrarum Orbem expeditionis; maxima Turcarum præsumptione susceptæ, majori ignominia finitæ. Præterquam enim quod sex annorum apparatus, immen- *Damna Turcarũ ex hoc bello.*

mensos deinde, & prope infinitos sumptus prodegissent, etiam Veteranorum militum, crebris hisce oppugnationibus, ultra centum milliū, totidem peste aliisque casibus, jacturam fecere: & ignominiosis novissime conditionibus cum Polonis transegerunt. Incussa insuper Polonorum reverentia Turcis: adeoque Osmanus ipse, ut Bzovius, Ecclesiasticus scriptor, refert, Vladislai Principis virtutem, æmulumque se superiorem agnoscens, ultro ipsi, legitimæ victoriæ brabæum, obtulit, missoq; ad illum Elephante, pressam animo generositatem adoravit. Inde disceptatio de discessu fuit. Sed in hoc quoque tandem Vladislao Principi Osmanus cessit: & curvato, cum suis, dorso, valedicens, prior ex castris Constantinopolim abiit. Insuper sublicium pontem, per quem ad propria Poloni regrederentur, quasi demissioris animi monumentum, integrum reliquit. Interim lætitia & congratulatio in castris Sarmatarum ingens; qui protentis pileis, quoad oculis aspici poterant, Turcis valedicebant.

Osmanus Vladislaū Principē munere honorat.

Ut autem hoc gaudio Sigismundus Rex, & anxia hucusque Sarmatia frueretur, Vladislaus Princeps Andream Soldrscium Cancellarium suum, ut victoriæ Lauream, pacisque palmam, Sigis-

Vladislaus victor, in Poloniam rediens, se-

Sigismundo Patri ostenderet, in Poloniam misit. Ipse paulatim sequebatur: & per congratulatorias, quacunque transibat, Sarmatiæ universæ voces, ad Patrem tandem, continuo velut triumpho, pervenit. Quis huic tunc sensus fuerit, facile est considerare. *Si enim* (ut Stoici similitudine utar) *agricolam arbor ad fructum perducta delectat, si Pastor ex fetu gregis sui capit voluptatem, si alumnum suum nemo aliter intuetur, quam ut adolescentiam illius suam judicet:* quid Sigismundo Patri evenisse credendum, qui Filium Vladislaum, à se verbis sæpius, ad fortitudinem, & exemplis instructum, ad tantos subito, de hoste tanto, triumphos, adolevisse videbat? Profectò cum Patri Filius vicisset, & Pater sibi de Filio, Patri omnes cõgratularetur, duplex videbatur, Domus unius, triumphus. Warsaviam autem, primariam Mazoviæ Urbem ingredienti, effusa in occursum promiscua hominum multitudo, ut nuper de abitu anxia, ita nunc gloriosissimum reditum congratulabatur. Alij autem Patriæ conservatorem, alij Sarmatiæ & Europæ universæ scutum, alij Herculem nova quotidie monstra debellantem, alij etiam Solem, magis magisque, virtutis suæ radiis, Poloniam indies recreantem, prædicabant. Et postremi quidem non sine mysterio: cum

stis congratulationibus excipitur.

Epistol. 34.

cum oppositus gloriosissimus adolescens, Phœbi instar, Lunæ Turcicæ, obscurasset illam, lumine fortitudinis suæ, & horrendam ejus ecclipsin, sua gloria causavisset.

Osmanus, Constantinopolim reversus, strangulatur An. 1622.

Cæterum ut omnia Vladislao Principi fausta, & congratulationes ubique; ita Osmano, in contrarium, omnia infortunata, & tristia eveniebant. Execrationes alibi, detestationes, & malè gestæ rei ordinarius comes, contemptus. Tum noxiæ adulationis & temeritatis suæ memorem, non moti tantummodo belli, sed ignominiosę etiam pacis pœnitebat. Præcipue autem mittendorum, ex Polonia Constantinopolim, Legatorum, ibique, aliorum Principum more, commorandorum, eum pudebat. Ergo, ut composita turbarentur, & Polonos desperatio mittendi legatos subiret, abire in Arabiam penitus, eoque sedem Imperii transferre meditabatur. Patuit fatale consilium Turcis. Itaque, majorum bellorum metu, ad palatium, Anno millesimo sexcentesimo vigesimo secundo, conglobati, ne ipsis quidem foribus temperavere. Osmanus, per aversam Palatij portam, trepidus ad Ager Bassam, fuga elapsus, haud multum, imminens exitium, latebra distulit. Statim enim à Janizaris & alijs Turcis inventus, protractusque, plurimis vulneri-

neribus concisus, confossusque est, vel, ut alii volunt, strangulatus. Mox eodem furoris cursu, Patruum ejus Mustapham, pacatioris ingenii virum, Cæsarem consalutatum, in solium ejus collocavere. Et sic Osmanus tandem, infelici expeditioni, & temeritati suæ, exitio suo parentavit.

Partis Primæ, Libri Secundi Finis.

GESTORUM VLADISLAI IV. PARTIS PRIMÆ LIBER TERTIUS.

CAPUT PRIMUM.

ARGUMENTUM.

VLADISLAI IV. Peregrinatio.

SUMMARIUM.

Vladislaus Princeps, pace foris domique parta, ut experientiam & usum sibi acquireret Anno 1624. ex Polonia ad Carolum Archiducem in Silesia: cum illo Viennam ad Imperatorem Ferdinandum II. proficiscitur. Ab Imperatore iterum in Bavariam ad Maximilianum Electorem: inde per præcipuas Germaniæ Urbes, salutato Coloniensi Electore, Bruxellas descendit. Idem illi honor, qui olim Archiduci Alberto Belgarum Principi, exhibetur. Bruxellis deinde, per Mechliniam & Antuerpiam, in castra Bredaica profectus, omnia munimenta & propugnacula videt. Spinola directionem exercitus in manus Vladislai deponit, & illi ad mensam inservit. Omnibus perlustratis, Bruxellas rediens, Serenissimæ Infanti valedicit: & ab aulicis ejus ad extremos Belgii fines deducitur. Per Mediomatrices & Lotharingiam, in Alsatiam ad Archiducem Leopoldum ascendit. A quo, maximo in honore habitus, cum Argentoratum excurrisset, per Basileam & Helvetiam, Mediolanum, Genuam, Parmam, & alias Italiæ Urbes, Loretum profectus, S. Vladislai statuam auream offert. A Summo Pontifice litteris Romam invitatus, ibi summo in honore à Pontifice habetur, & Carolo V. æquiparatus, S. Veronicam visitans, Sacrosanctam Christi faciem populo visendam exhibet.

IAm pace domi forisque parta, non erat in Polonia ubi fortitudinem suam Vladislaus Princeps, ubi virtutem, & suam bellicæ rei scientiam, cum utilitate exereret. Non erat ubi docere ipse aut discere quicquam posse videretur, cum omnia, quæ Sarmatiæ universæ erant, jam à crepundiis cognovisset, & pacem undique fortitudine sua stabilivisset. Quid ergo? Pronum erat, Polonia feriante, in male occupatorum mores degenerare. *Mobilis enim & inquieta mens homini data est. Nunquam se tenet, spargitur, & cogitationes suas in omnia nota atque ignota dimittit, vaga, & quietis impatiens, & novitate rerum lætissima.* Senec. de Cons. ad Helv.

Sed Regiæ indolis adolescens, ne vili otio plebeis vitiis occasionem faceret, ut ad maxima & egregia natus, ita ad sublimiora & honestiora animũ vertit. Cum enim rerum administrandarum gubernaculis destinaretur, in mentem experientia veniebat, quæ, necessariam Reipublicæ clavo, prudentiam consummaret.

Vladislaus Princeps, ut experiẽtiam sibi compararet, peregrinari constituit

Cum autem variæ, ad illam sociam sibi accifcendam, viæ occurrerent, nulla tamen securior expeditiorque visa est, quam ea, quæ, peregrinatione facem præferente, ostentatur. Ita enim Sapientissimi quique: Plato in Ægyptum & alias terras: Solon in Asiam, Ægyptum, & Indiam: alii in Chaldæam, Assiriam, & ad Brachmanas se contulerunt, ut sapientiam, experientiam, & usum acquirerent. Hos tantos viros Vladislaus Princeps sequi voluit: & peregrinationem tota mente complexus, Germaniam, Belgium, Italiam peragrare: variorum Principum, Gentium, Urbiumq; mores cognoscere: & obsidionem Urbis Bredanæ, per universa terrarum spatia famosam, in qua omnes Mavortis artes, & industria omnis, quasi in compendio, à prudentissimo, tum temporis, Imperatore, Marchione Ambrosio Spinola, delineata erat, lustrare in animum duxit. Insuper avunculi Cæsaris Ferdinandi II. Maje-

stătem: Isabellæ Claræ Eugeniæ, Infantis Hispaniarum, Belgarum Principis, & consanguineæ suæ magnificentiam & moderationem: & Summi Pontificis culmen venerari. Denique invisere nucleum terrarum Orbis: antiquitates advertere: rerum naturæ præclusa rimari: &, solerti oculorum mentisque indagine, secretiora videre. Ad hæc enim *curiosum nobis natura ingenium dedit: & artis sibi & pulchritudinis suæ conscia, spectatores nos tantis rerum spectaculis genuit, perditura fructum sui, si tam magna, tam clara, tam subtiliter ducta, tam nitida, & non uno genere formosa, solitudini ostenderet. Ut scias illam spectari voluisse, non tantum aspici, vide quem nobis locum dederit. In media nos sui parte constituit, & circumspectum omnium nobis dedit: nec erexit tantummodo hominem, sed etiam, ut ab ortu sidera in occasum labentia prosequi posset, & vultum suum circumferre cum toto, sublime fecit illi caput, & collo flexibili imposuit.* Ergo naturæ ductum & instructionem Vladislaus sequi voluit, & originis finisq; sui memor, in quem venerat, in quo vivebat, famamque nominis sui, crebris, è Moscovitico, Tartarico, Turcico hoste victoriis dilatabat, Mundum videre decrevit, & naturæ, ut natura voluit, mysteria & sacramenta scrutari. Sed nonnullam flagranti desiderio moram,

Seneca de vita beata.

moram, reluctantis Sigismundi Parentis cura faciebat: quætamen ipsa tandem, prævia deliberatione adulta, in consensum prudenter desiit.

Quibus comitibus.

Et jam nulla nisi de comitatu cura restabat: quæ tamen non diu anxios sollicitosque, in tanta Nobilissimorum Sarmatiæ virorum adolescentumque copia, Serenissimos Parentem Filiumque torsit. Inprimis Alberto Stanislao Radzivillio, Sac: Rom: Imp: Principi, Duci in Olica & Niesswiess, Supremo Mag: Duc: Lithvan: Cancellario, totius itineris reiq; directionē deferre placuit: qui & hancProvinciā libens in se suscepit. In viæ comites Stephanum PaciumMag: Duc: Lithu: tunc Notarium, post Vicecancellarium, & LucamZolkevium Capitaneum Calusiensem assumere visum est. Deniq; Adamus Kazanovius, Marschalcus modo Aulæ Regiæ, & illius fortissimi belli Ducis Martini Kazanovii ex fratre nepos: Gerhardus Dönhoff, in Sac: Rom: Imp: Comitem postea elevatus, Castellanus Gedanensis, Capitaneus & Oeconomus Regius Mariæburgensis, Coszerinensis, Felinensis, Ludzinensis Præfectus, & totius Prussiæ Comissarius Generalis Bellicus, miles paulo ante in Valachia, sub Vladislao Principe, fortis & felix, qui Thorunnio adversus vim Suecicā Romana virtute servato, Ducis Brigensis Filiam Conjugem duxit: Samuel

Samuel Rylscius Capitaneus nunc Rabstenensis, Reinoldus von Rosen/ & Nicolaus Piglovius, Vladislai Principis cubicularii fuere.

VVarsavia discedit Anno 1624. 17 Maij.

Hac nobilissima Illustrissimorum virorum juvenumq; caterva stipatus, Vladislaus Princeps, cum Annum ageret Orbis, post Christum natum, 1624. 17. die Maij, hora ante meridiem decima, iter suum feliciter auspicatus est, nullo quidem ante se Principum Polonorum exemplo, quo subsequentibus se ipsum poneret primus in exemplar. Ergo facta Serenissimis Parentibus valedictione, osculisq; manuum Regiarum, à præfato itineris comitatu, expeditis, Warsaviæ, è conclavi regio, à Serenissimis fratribus ad currum usq; deductus est. Quem proficiscentem Rex & Regina, è fenestra Palatii, ultra etiam quam oculis assequi poterant, faustorum omnium apprecatione prosequebantur.

Czestochoviæ Eucharistiæ Sacramēto reficitur 22. Maij.

Cæterum cum Vladislaus Princeps, ad ambiguam bellorum tumultibus Germaniam proficisceretur, antequā Paternum Regnum desereret, gratiam opemq; divinam implorandam censuit. Itaq; recta Czestochoviam versus, in utriusque Polonici Bohemiciq; Regni limitib⁹, iter direxit; ut pœnitentiæ & Eucharistiæ Sacramento reficeretur, & locum miraculosa D. Virginis imagine

famosum, magna cum reverentia visitaret. Pervenit illac 21. Maij circa meridiem, & sequenti die, voti compos, cum plerisque è comitatu suo, sacra synaxi refectus est.

Nissam, ex improviso, ad Archiducem Carolum venit 24. Maij.

Tum vero à Dno Wolscio Marschalco Regni (qui salutandi invitandique gratia ad ipsum excurrerat) compendiosiore demonstrata via, ante meridiem adhuc Lublinecum, primam hoc tractu Silesiæ civitatem attigit, & Caroli Archiducis metropoli Nissæ paulatim appropinquavit. Quod ut sensit Archidux, ad recipiendum magna cum gloria Principem multa moliebatur: sed quæ omnia Vladislaus Princeps, jucundo Stratagemate quodam, destruxit. Cum enim Krapkoviciam pervenisset, interceptis ubiq; Caroli Archiducis exploratoribus, & singulari cura detentis, quo famam adventus sui preveniret, hora duodecima noctis, Nissam magna celeritate perrexit. Et tam feliciter quidem, ut hora octava mane prius Nissam ingrederetur, quam venire nuntiaretur. Ipsum Archiducem, nihil min⁹ quam de adventu suo cogitantem, in templo offendit; adeo novitate rei attonitum, ut illusionem suspicaretur. Peracto interim mutuæ salutationis officio, Sacro audiendo vacatur. Inde ab Ecclesia ad arcem prandiumque transitum est; sæpius Archiduce ingeminante,

minante, ut Poloniæ Princeps tractationem tumultuariam boni consuleret; sibi enim videri, se modo hospites non habere, cum per januam rectam non intraverint; adeoque pœnitentiam culpæ, ob impeditum occursum admissæ, prandii tenuitate explerent, in crastinum omnia cumulatius affutura. Cæterum Archiduce poculum vini, in sanitatem Poloniæ Regis, Reginæ, & Vladislai Principis exhauriente, tormentorum explosionibus aër semper intonuit. Subsequentibus deinde aliquot diebus, in diversis plerumque jucundissimisque locis (quo alia aliaque, inter refectionem quotidianam, novitas oculos animumque pasceret) prandium sumptum, in quorum uno parasytus Caroli Archiducis, octo pisces vivos, singulos separatim, spectantibus serenissimis, deglutivit.

Vladisla⁹ Princeps Vratislaviam excurrit. 8. Iunij.

Inde cum ad umbilicum usque Junii, vestes aliæ, ad earundem quas adituri erant, gentium mores modumque prepararentur, Vratislaviæ per otium videndæ, Vladislaum Principem cupido invasit. Itaque 8. Jun: Cum pacio, Zolkevio, Dönhoff, & Kazanovio (quibus toto hoc itinere familiarius usus est) crepusculo matutino, illac ignotus discessit. Hoc enim propositum erat Serenissimi Principis, toto itineris tempore, non nosci, adeoq; & fictitium nomen assumpserat, ut commodius

dius Vladislai nomen & persona lateret: tum ut splendore nominis sui suppresso, præparatos hominum plausus declinaret, & omnium, victorias ejus mirantium & celebrantium, oculis ad verecundiam toties non sollicitaretur. Sed quemadmodum dies splendorem Solis, nubibus licet densis obscurati, demonstrat; ita evibrati, Serenissimi Vladislai Principis, virtutum radii, nullo non loco præsentiam ejus patefecerunt. Certe Vratislaviæ statim, in ipso templo, dum interesse sacrificio missæ cogitat, à militibus, qui in expeditione Valachica stipendia sub ipso meruerant, notatus fuit: quorum oculis sese caute subduxit, ut concursum curiosæ turbæ vitaret. Lustratis deinde omnibus, quæ oculos ejus merebantur, Nissam rediit.

Et jam, præparatis omnibus, destinata profectioni dies 14. Jun: aderat: cum Archidux Carolus Vladislaum Principem Viennam usque comitari decrevit; et, nequicquam renitente Serenissimo Poloniæ Principe, adimplevit. Cum autem prope Viennam essent, placuit Serenissimis, eodem, quo Vladilaus Princeps nuper, Stratagemate, adventus sui famam prævenire. Itaque uno solo curru vecti, duobus quemque comitantibus famulis, Viennam properavere. Successit amœnissimus dolus.

Archidux cum illo Viennam intrat 21. Junij.

lus. Tantum enim à fama venientium aberat, ut eadem die Imperator cum Imperatrice, in Suburbanos hortos, animi gratia, concesserit. Læti tam prospero successu Serenissimi, cum Viennam jam fefellissent, eodem, ad fallendum Imperatorem, cursu festinabant. Et eadem vespera, equis concitari jussis, Imperatorem & Imperatricem, cum impetu venientis rhedæ strepitu in eventum arrectos, ex improviso salutavere. O quis tum stupor! quæ gaudia! quę mutuæ benevolentiæ signa! Ruebat in alterius alter amplexum, & inter mutuas congratulationes, & varia mutui affectus Symbola, Viennam Palatiumque Cęsarium ingrediebantur: In quo, post biduum, Serenissimus Poloniæ Princeps, comitantibus, Radzivillio Duce, D. Pacio, & D. Zolkevio, ab Imperatore, Imperatrice, Cæsarea prole, Carolo & Leopoldo (qui sub hæc Viennam venerat) Archiducibus, in sanctiorem Domus Austriacæ thesaurum deductus est, & coacervatas à tot Imperatoribus Archiducibusque, tot annorum felicitate, divitias, cum variis stupendisq; raritatibus, & incomparabilibus naturæ artisque miraculis, ipso Imperatore omnia monstrante & explicante, lustravit.

Inde certatim Regum Principumque Legati Poloniæ Principem visitavere: & una quidem ea-

Varii Legati Vladislaum

Principē invisunt. 25. Iun.

demque die, Dn. Carapha Nuntius Apostolicus: Comes de Ognati Regis Hispaniarum Legatus: & Dn. Altovitius Legatus Magni Hetruriæ Ducis. Sequuta porro quotidiana tripudia, hastiludia, jaculationes ad scopum, venationes, & exercitationes aliæ, ad honorem Principis institutæ. Quæ plerumque etiam, ipso Serenissimo Principe brabæum anhelante, in ipsius gloriam desierunt. Una præcipue chorea figurata, ab Imperatrice, & quindecim ex ejus gynecæo Domicellis, partim solutis, partim conjugatis instituta, plerorumq; spectantium animos in stuporem traxit. Ad illam cum promiscue homines cursitarent, facta per cōclave Imperatoris via, nemo, nisi quem Imperator ipse januæ astans voluisset, aut Vladislaus Princeps, penes Imperatorem janua tectus, ex suis esse suggessisset, intromittebatur. Multi in hac solennitate ornatum, plures saltantium Domicellarum decus & agilitatem, plurimi doctissimum ad numeros alterno pede motum, suspiciebant. Omnium vero judicio, gratia, arte, dexteritate, palmam Serenissima Imperatrix meruit. Hoc absoluto saltu, & decantatis Serenissimorum, Imperatoris, Vladislai Principis, & utriusque Archiducis laudibus, reliqua pars mediæ noctis honori Sarmatarum impensa est: cum ipsa Imperatrix, pleros-

que

que è Serenissimi Principis comitatu, & inprimis Radzivillium Ducem, ad choreas Ordinarias secum ducendas, invitârit, saltaveritque.

Imperator, Vladislaum Principē discedentem, ad medium usq; milliare, deducit 15. Iunij.

Cæterum Vladislaus Princeps, multis diebus, & affectui, & amori mutuo, & hilaritati impensis, cum à febri (in quam summo omnium, & vel maxime Imperatoris, cum dolore, inciderat, & diebus aliquot decubuerat) convaluisset, ad promovendum, in ulteriorem Germaniam, iter, se præparavit. Et Imperator quidem diutius præsentiam ejus anhelabat: sed votum ejus intra resolutionem Vladislai Principis erat. Itaq; cum ulterius præsentia ejus frui non posset, cum Serenissimis filiis, & Archiduce Carolo, Vladislaum Principem, Vienna discedentem, ad medium milliare, extra Urbem, honoris gratia comitabatur. Cui cum vices Poloniæ Princeps rependere vellet, ante se Imperator loco movere non voluit, quam, valedictione peracta, mixtisque complexibus, Princeps abiisset.

Virtutes Vladislai laudatæ, & Principum erga illum studium.

Reliquerat profecto magnum desiderium sui, & famam virtutum suarum non exiguam, Viennæ, Vladislaus Princeps: cum omnes summam ejus in armis dexteritatem, in congressu mansuetudinem, in colloquio affabilitatem, in rebus omnibus prudentiam admirarentur. Adeoq; &

sibi

ſibi gloriæ ſinguli Magnates duxerant, ſi ejus humaniſſima converſatione, vel minimo tempore, frui contigerat. Sed & fama tantarum virtutum (præter eam, quæ Moſcoviticis, Turcicis, Tartaricisque triumphis, jam antea omnium animos occupaverat) Viennâ, in Germaniam reliquam, admirabili celeritate proficiſcens, omnium affectus & curioſitatem magis, ad recipiendum videndumque tantum Principem, erigebat. Quapropter ut primum præſentiam ejus, ab Auſtria in Imperium aſcendentem, Germania animadvertit, tota quodammodo ad ſalutandum, congratulandum, invitandum, & venerandum commota eſt. Adeo ut (quemadmodum Cicero ſe Italiæ humeris, ab exilio, in Urbem Romanam, delatum gloriabatur) meritiſſimo jure, Germaniæ, Imperiiq; Romani Electorum, Ducum, Principum, Comitum, Magnatum, Urbiumq; liberarum congratulationibus, celebrique comitatu, Bruxellas in Belgium, ad Sereniſſimam conſanguineam ſuam, Iſabellam Claram Eugeniam, ſe deductum gloriari poſſit.

Linzij ex pictura Vienna miſſa agnoſcitur,

At, ne exaggerare rem videar, ſtudium omnium erga eum Linzium proficiſcentem, videamus. Antequam eo veniret, jam & curioſa artificum manu Viennæ depictus, & eorum, qui eum ibi cognoverant, deſcriptione, ita erat Linzii delineatus, ut cum Urbem, famulantium turbæ immerſus, ingrederetur, & ſe à nemine cognitum iri exiſtimaret, jam & à Capucinis, & Societatis Jeſu Patribus, directis in eum, ſumma ipſius cum admiratione, oculis, ſalutaretur. Cum Salisburgum deinde, 23. Julij, ſub crepuſculum veſpertinum intraret, ſtatim ab Archiepiſcopo ſalutatus, in ſequentem diem, ad Palatium & prandium humaniſſime invitabatur. Quo, ſequenti die, regaliter abſoluto, extra Urbem eremitoria, hortum Archiepiſcopalem, Salientium aquarum fontes, magna cum voluptate, luſtravit. Ad Palatium, horto vicinum, cum tranſiſſet, Archiepiſcopo ſuperveniente, in eo, ex ſelectiſſimis, quibuſvis confectionibus, collationem ſumpſit. Altera ſubſequenti die, audito in ſacello Archiepiſcopali Sacro, & alio, extra Civitatem, peramœno ſuperboque Palatio viſitato, comitantibus Archiepiſcopi Commiſſariis, propoſitum Poloniæ Princeps iter proſequebatur. Sed, ecce, vix aliquot milliaria proceſſerat, cum in Petingenſi Pago, Bavariæ Electoris Commiſſarii obviam venere. A quibus, nomine ejuſdem Electoris, invitatus, Monachium cum eis intravit. Et aberat tum quidem Elector, graviſſimorum negotiorum cauſa, Noribergæ,

& ſalutatur 19. Iulij.

Salisburgi ab Archiepiſcopo regaliter tractatur 24. Iul.

A Bavariæ Electore invitatus Monachium intrat. 28. Iul.

gæ, cum Moguntino Electore occupatus. Tamen ejus nomine Marschalcus Curiæ Baro Teringius, cum majore aulæ Bavaricæ nobilitatis parte, multis curribus, extra portas, in occursum prodiit, et, honoris gratia, Vladislaum Principem, nitidissimam (ut fama refert) Germaniæ Urbium, Monachium introducit. Quænam ibi tum gaudia, qui concursus, quæ vociferationes curiosi & promiscui vulgus, nemo facile dixerit. Exciverat Serenissimum Ducem Guilielmum desiderium videndi Poloniæ Principis, Ratisbonæ, ex cellulis Carthusianorum. Hic, cum Serenissima Electrice, Vladislaum Principem, singulari lætitia & humanitate, in Palatio excipiebat; & ab utroque, ad conclave suum, omni apparatuum splendore instructissimum, deducebatur. Nil magis autem comitatum ejus, quam Palatii, & potissimum Salæ, camerarumq; Imperialium magnificentia, superbiaque, in admirationem rapuit. Nec mirum: cum nihil hisce, tota Germania, simile reperiri, perhibeatur.

Maximilianus Elector Monachium veniens, Principē

Maximilianus Elector, ut primum Poloniæ Principem sua subiisse tecta comperit, aut suspēsis, aut expeditis negotiis, Monachium properavit, et, circa horam noctis undecimam, post biduum adfuit: & mane statim Principem Vladislaum

laum adire, salutare, felicemque adventum congratulari, non destitit. Ad comites quoque Electoris benevolentia sese extendit: quibus singulis humanissime dexteram osculandam præbuit. Et prandium cum Vladislao Principe, in illo antiquario suo sumpsit, quo pulchrius aut curiosius aliquid, oculis videri posse, quivis merito dubitaverit.

Vladislaū salutat. 31. Iulij.

Reliqui, usque ad albitum, dies, armamentario (in quo, præter magnam copiam tormentorum, ingens eorum multitudo, quæ ex prælio Pragensi, aliisque locis, à victore Maximiliano, huc translata fuerant, videbatur) domo, in qua rarissima naturæ & artis opera asservantur: sacello illo intimiore, quod *Virginū Principi salutatæ, Genitrici Genitoris sui jam geniti gignenti sacrum, dicatumque*, & totum quasi ex auro, adamantibus, & lapidibus aliis pretiosis, compositum constructumque est; & similibus aliis perlustrandis, absumpti. Quibus visis, Vladislaus Princeps, Augustam vindelicorū pergere meditabatur. Maximilianus Elector, cū Principem ab honesto proposito dimovere non vellet, generosissimo illū equo, pretioso ephippio phalerisque superbo, donavit. Itaque Princeps, Electrici, & Guilielmo Duci, valedicens, cum Electore Starenbergam abiit:

Vladislaus Maximiliano Electori valedicit 7. Aug.

 ubi,

ubi, sequenti die piscatione & venatione recreati, ab amplexibus, in diversa viarum, divulsi, invicem valedixerunt.

Augustā Vindelicorum intrat. 8. Aug. Et Vladislaus Princeps quidem, Augustam Vindelicorum, sub Vesperam sequentis diei ingressus est. Quem ubi advenisse Magistratus advertit, summo mane, honorarium vinum offerens, salutavit. Inde quicquid in civitate praecipui, aquariam machinam, templum & reliquias S. Udalrici, armamentarium, Fuggerorum domus, stabula, & equos lustravere. Aderat ipse Dominus Fuggerus, & Poloniae Principe salutato, ipsum cum toto comitatu suo, ad coenam nocturnasque choreas invitavit. Acquievit Princeps, & coenam cum ipso, uxore, & sorore ipsius sumpsit. Cum vero, absoluta coena, ad amplissimā salam deduceretur, exspectantes ibi musicos, & avidam cum tanto Principe saltandi virginum Patritiarum turmam, veterum more, albo vestitam habitu, simplicitatem prioris seculi referentem, offendit. Nec abnuit omnino Vladislaus Princeps: sed septem aut octo gyros choreales absolvit, ne ipsarum penitus desiderium contempsisse videretur.

Noribergam ingreditur. 24. Aug. Augusta Vindelicorum Poloniae Princeps, per Donawerdam, Noribergam profectus est. Et

hanc quidem, mediocri promiscui vulgus concursu, intravit. Cum vero sequentis diei mane, Teutonici Ordinis Commendator, quatuor curribus Principem, ad domum Teutonicam, Missæ audiendæ gratia, deduceret, tanta hominum, Poloniæ Principem videre desiderantium multitudo confluxit, ut tectis, domibus, & plateis occupatis, vix homines hominib⁹ cederēt, & via vix curribus rotisque pateret. Addidit, audito Sacro, Magistratus Principi Syndicum Urbis, ut Senatoriam Domum, armamentarium vetustate, magnitudine, & multitudine armorum celebre, arcem insuper sive castrum, commodius meliusque lustraret.

His magni nominis Urbibus prælustratis, per Herbipolim (à cujus Episcopo summo in honore habitus fuit) Hanoviam, & Francofurtum ad Mœnum, Moguntiam navigavit. Et aberat tum quidem Moguntinus Elector, quare à famosissimo, ob eruditionem & eloquentiam Viro, Patre Maximiliano Sandæo, Societatis Jesu nomine, salutatus, ad eorundem collegium visitandum invitabatur. Et Vladislaus Princeps, gravissimi viri eloquentia, in assensum tractus, humanissime acquievit. Visitatione vero prandioque peracto, Schapha cum suis Rhenum tentavit. Sed *Moguntiam 25. Aug.*

nobilissimus Germaniæ fluminum, vehementia venti, in procellas altiores actus, nō sine periculo Principis & sociorū ejus, intumuit. Adeo ut Vladislaus Princeps, mores ejus, in perniciem navigantium proniores, abhorrens, in proximo, uno à Moguntia milliari, pago, reliquum istius diei noctemque quiesceret, usq; dum insidiosa tempestas desævisset. Et favêre Cœlites. Altera enim lætior sereniorque dies erat, & Rheni mira quies, mira malacies. Verissimūq; illud apparuit, quod Anneus. *Nulla tempestas magna perdurat. Procellæ quanto plus habent virium, tanto minus temporis. Venti cum ad summum venerunt, remittuntur omni violentia. Necesse est ista concitatione in exitium sui tendant.* Ergo felices illas ad Rhenum terras, vitiferos illos ab utroq; latere montes, & vestita pagis littora, undique uvas & vinum offerentibus accolis, securi & maxima cum voluptate, prænavigavere. Bacharaci (ubi præstantissimum Rhenense vinum nasci dicitur) à Geldriæ & Palatinatus Gubernatore, Verdugio, magno tormentorum boatu, & lautissimo prandio, Poloniæ Princeps excipiebatur. Cum deinde castrum Pfaltz (vet⁹ quædā arx est & turris, rupi, medio injectæ Rheno, superstructa; quæ toti deinde Palatinatui nomen dedit) curiosius perlustrasset, & reascen-

In Rheno periclitatur.

Lib. 7. Natur.

Feliciter navigat.

reascensis navibus Boppardium versus vela facceret, Trevirensis Electoris Commissarii, alia oneraria rate occurrentes, ipsum, Archiepiscopi Domini sui nomine, confluentiam in Palatium Archiepiscopale, hac nocte diverteret, rogavetunt: quo, importunitatis evitandæ prætextu, nonnihil reluctante, illi navem suam Sarmaticæ navi colligantes, simul perrexere, dicentes eam esse Domini sui voluntatem.

Cum inter mutuas colligatarum navium civilitates, tribus enavigatis milliaribus, ad civitatem applicuissent, ecce alius, & alius honor. Stabant, in arma coacti, toto littore, longo ordine cives. Arcensia tormenta omnia, iteratis vicibus, magno fragore reboabant. Ipse Archiepiscopus Elector in porta (quæ tamen prope Palatium erat) excipiebat. Et, Electore Sarmatas in Palatium deducente, festivis, à tergo, cives explosionibus prosequebantur. Tum vero, cum Palatium subiissent, prolixiora adhuc Electoris, erga Principem, benevolentiæ studia: & in cœna, sexcentis luciniarum ferculis sumptuosissima, non extrema musica, dum corpus reficeretur, aures demulcebat.

Confluētia, ab Electore Trevirēsi, mira humanitate excipitur. 24. Aug.

Nec tamen hisce terminis, officiositas Archiepiscopi, circumscribebatur. Ut primum enim, ex

Officiosus Electoris Trevirēsis dolus. ex vicinis Sarmatiæ Regnis, Phœbus faciem suam ostendit, quasi nihil egisset, ad nova beneficia sese composuit. Initium autem à sacris faciens, Sancti Sebastiani Craneum, ad osculandum Poloniæ Principi, & universo comitatui ejus, propria sua manu porrexit. Inde ad jentaculum invitavit: sed Vladislao Principe omnino renuente, mixtis invicem amplexibus, valedixere. Putabat Poloniæ Princeps, jam sese Archiepiscopi Electoris benevolentiæ retibus explicuisse. Sed invenerat astuta humanitas ej⁹, quo ulterius obsequiis suis, jucundo Stratagemate, Princeps navigaret. Navem propriam suam, esculentis, poculentis, rebusque necessariis omnibus, tanto Principe dignis, ad abundantiam instrui jusserat. Tum Commissariis suis, ut non uno verborum lenocinio, Poloniæ Principem, nihil hujusmodi opinantem, in illam pellicerent, imperârat. Quid faceret Princeps? Navem ingressus est. Non ante autem officiose circumventum se vidit, quam, dum

terræque Urbesque recedunt,

Strata à Commissariis mensa, sumptuosum jentaculum apponeretur. Tum risus, joci, sales: quibus adeo Vladislaus recreatus fuit, ut instructum postea, eodem modo, prandium non aversaretur.

At jam vix milliaria pauca processerant, cum *Ab Electore Coloniensi Bonnam introducitur. 25. Aug.* Serenissimi Electoris & Archiepiscopi Coloniensis Commissarii, Dominus Crivellius, cum aliis tribus, occurrerent. Salutabant illi, Domini sui nomine, & humanissime invitabant. Prorsus quasi ex composito, Poloniæ Princeps Vladislaus, ab Archiepiscopis & Electoribus invicem in manus traderetur. Quin immo & Elector, cum Alberto Duce fratre suo, Vladislaum Principem, secundo fluvio descendentem, ad ripam Rheni, curribus, rhedis, & equis, exspectabat. Grande piaculum fuisset tantum Electorem transiisse: humanitatem sprevisse, nefas. Quid ergo? Relictis navibus fluctibusque, prævia salutatione & amplexu, terram iterum & currus ascendunt. Ubi in late patentes campos ventum, venatio placuit. Qua recreati Serenissimi, repetitis curribus, Bonnam intravere. Ut primum autem cataractas portarum transiere, ejusmodi ingentium machinarum fragore salutati fuerunt, ut rumpi cœlum, moveri terra, & omnia misceri elementa viderentur.

Altera mox die, generosissimus Dominus Adolphus Wolff Metternich, Serenissimi Wolfgangi Guilielmi Neoburgici, Juliæ, Cliviæ, Montium Ducis Commissarius, litteras humanitatis & officii plenas, Serenissimo Vladislao Principi tradidit. *Neoburgici litteræ ad Vladislaum Principē. 26. Aug.*

didit. Desideraverat Serenissimus ille Dux faciem Vladislai Principis: sed prægnantibus causis urgentibus, in Hispaniam, paulo ante, discesserat. Non omne tamen officium secum trahens, has, tradendas Serenissimo Poloniæ Principi, litteras, in amoris & affectus Symbolum, Dusseldorpii Commissario suo, reliquerat. Est enim ille Dux, si quis alius, benevolentiæ & humanitatis eximiæ; adeo ut, sicut omnium aliarum virtutum ergo, ita hac quoque ex parte, tota passim Germania celebretur. Quare & Commissarius ejus, ad mentem Ducis sui, non ante à latere Principis Vladislai abivit, quam eum Bonna, ad ipsos Brabantiæ fines, obsequij & observantiæ ergo, deduxisset.

Serenissimi fortalitium pilei sacerdotalis perlustrāt. 27. Aug.

Cæterum (ut ad Vladislaum Principem, Electorem Coloniensem, & Albertum Ducem, Bonnæ se mutua præsentia exhilarantes, revertamur) post prandium insequentis diei, placuit industriæ Batavicæ monumentum, pilei Sacerdotalis (germanice Pfaffen Mütz) fortalitium perlustrare. Est autem illud in Insula Rheni, æquali prope divortio, à continente divisa, munimentum, & apparet à longè spectantibus, prorsus inexpugnabile: quod tamen, sub Henrico Montensi Comite, partim Hispanicis, partim Ducis Neoburgici, copijs, jugum admisit. Totum pomeridianum tempus curio-

curiositas illa consumpsit. Postquam vero, omnib⁹ perlustratis, Bonnam reversi sunt, generosissimo equo, phaleris & Ephippio pretiosissimo, Principem Elector donavit.

Coloniēsis Urbis erga Vladislaum Principem mira humanitas 28. Aug:

Urebat autem, Principis Vladislai pectus, desiderium illius celeberrimę Urbis, Coloniæ Agrippinæ visendæ. Itaque, absoluto prandio sequentis diei, comitantibus, Electoris, & Neoburgici, Commissarijs, navigio illac descendit. Tum vero, cum amplissimam hanc, Sanctam, famosissimamq; Romani Imperij Urbē, sub oculos suos haberet, ut solitā eius, in superiorib⁹ ejusmodi Divis adorandis, humanitatē effugeret, latere (ut toto itinere fecerat) suarum partium duxit. Sed non adeo oculatissimæ Urbis, ingenio suo, sensum evaserat, ut non illa adventū ejus, varijs artium humanissimarum beneficijs, præcognosceret. Itaque machinæ grandiores passim, per valla, munitionesque ad congratulandum, dispositæ: coacti in arma cives militesque: Consules & Senatores, Rhedis curribusque, in ripa Rheni, ad salutandum, præparati stabant. Et juxta tantum promiscui sexus, quantum Provinciæ non strictæ sufficeret. Dum vero, inter humanissimæ Urbis benevolentiam, & Principis Vladislai modestiam, decertatur, vicit tandem ingenium Principis, & navigio littus appellens, per suos, jam

jam formanti salutationis verba Senatui, nō in hoc, sed in sequenti navigio, Vladislaū Principem esse, insinuavit. Credidit, qui neminem noverat, asserentium verbis Magistratus: Nec ante deceptum se vidit, quam è sequenti navigio, Commissarios Electoris, & Neoburgici Ducis, prodire conspexit. Interim Poloniæ Princeps, confertam turbam premens, Urbem ingrediebatur. Tanta autem erat, Vladislaum Principem videndi, curiosorum hominum multitudo, ut transitus nullo pacto, nisi per exiguam viam, quam, Satellitum officialiumque militarium opera, & baculorum adminiculo, factam, milites custodiebant, pateret. Ut primum autem hoc tecta sua subijsse Numen, & perspicaciam suam fefellisse Senatus animadvertit, statim, ad hospitium veniens, facta verbis, in exquisitæ humanitatis speciem concinnatis, salutatione, studiorum officiorumque suorum promptitudinem, Serenissimo Principi totique comitatui ejus, mira propensi animi & affectus declaratione, obtulit. Ne vero loqui tantummodo videretur, statim ad cænam, & singulos postea pastus, quadraginta coronatos, per Urbis insignia, cantaros, prætorio, ut appellant, vino plenos, viginti sibi invicem, longo ordine, succedentium virorum ministerio misit.

Sequenti die placuit Poloniæ Principi maximam

mam lustrare Urbem, & frequentia Sanctorum delubra venerari. Cum vero Civitas omnis, ad Principem, quem non noverat, & adesse tamen didicerat, videndum commoveretur, hunc jugiter morem Vladislaus servavit, ut comitatui suo immersus, innumerabilis & curiosæ plebis oculos, effugeret pariter & irritaret. Sic, deducentibus eum Consulibus, amplissimæ Urbis ambitum, magnifica ædificia publica, spectabiles contignationibus multis privatas domus, duobusque cornibus, semilunari concavo, Rheni præterfluentis allapsum, et, è regione Divitiensi monumentum vidit. Sic armamentarium, novæ militiæ inventis prægnans, et, præter cætera tormenta, notas per Alphabetum grandiores machinas, & Sanctos, miræ capacitatis, Apostolos, sic nuncupatos, advetit. Sic frequentissima illa Divorum Templa, architecturâ mirabilia, ornamentis varia, plumbo tecta, & Sanctorum reliquijs venerabilia subijt & veneratus est. Sic S. Ursulæ, & tot millium sociarum Virginum: Sanctorum Gereonis, Mauritij, & sociorum martyrum, ossa & sanguinem, pijssimus Princeps, christiane coluit. Cum vero, transiens adunco monumento turrim, Metropolitanā D. Petri Basilicam subijsset, & venerabilia trium Orientalium Magorum Regumque corpora devotus

Varia templa & ædificia publica lustrat 29. Aug.

 votus

votus visitaret, & ipse, suis immersus, Agrippinenses hucusque fefellisset, casu, promiscue omnibus, quis esset innotuit. Aram Dux Radzivillius prior ascenderat, & porrigens Vladislao dexteram, ascendere parantem juvit, alii subsequebantur. Cum omnes autem ora, ad aram, oculosq; converterent, quis esset Poloniæ Princeps noscere curiosi, corona Vladislao Principi, omnium, ut oportebat, primo imposita est, & futuri aliquando Regis tempora ominosum diadema cinxit; hoc circũstantium omnium vociferatione & applausu, ac si jam Regem Poloniæ, quem Principem cognoscebant, coram intuerentur.

In Senatoria domo, magnifica collatiõe, à Senatu excipitur

Inde, eodem deducente Senatu, majori jam populi concursu & curiositate, munitam tutamq; ferreis portis, tormentis, vigilibusque Senatoriam domum: frontispicium, innitens, è porphyrio lapide, columnis, candido alabastro, auro, marmore, historiisque ornatissimum perlustravit. Et illam curiæ turrim, tot centenis simulacris quodammodo fastuosam, ascendit: veteris militiæ arma & machinamenta vidit: & desuper turritam Urbem, & omnia circũjacentia loca spectavit. Instruxerat autem magnificam & sumptuosam collationem, in camera illustriori, Senatus: ad hanc Princeps, post omnia, ductus est. Et acquievit, cum

cum humanissimam sinceramque Magistratus benevolentiam, in omnibus experiretur.

Postera dies, sicut & altera insequens, pariter magnificentiæ Urbis impensa est. Hac quoq; cum laude Poloniæ Principis, & singulari ejus clementiæ & misericordiæ fama, quod pauperem, ad exiguum furtum, magna necessitate coactum, intercessione sua apud judicem binosque scabinos, suspendio liberârit, cum jam jam ad furcam ducendus esset. Quam Principis virtutem, tum omnes, tum promiscuum vulgus, quod ad spectaculum innumerabili multitudine convenerat, maxime celebravit. Adeoq; & ad hospitium Vladislai Principis, plerique se contulerunt, ut, cum jam vidissent qui liberatus fuerat, curiosiore oculo tantum Principem intuerentur, qui insigni clementia & misericordia liberavisset.

Reum suspendio liberat. 31. Aug.

Noluit Vladislaus Princeps, tum quidem latere sedulus, inter cognoscentis se vulgi frequentiam, diutius commorari: sed, actis Reipublicæ, pro singulari benevolentia & humanitate, gratiis, Urbem, ut advertit, & statutis, & moribus, & magnificentia, veteris Romæ æmulam, quarta, postquam intraverat, die, prima Septembris, tandem deseruit. Quem Juliacum versus proficiscentem, festis tormentorum boatibus Colonienses prosequeba-

Colonia discedit. 1. Sept.

quebantur. Ut primum vero Juliacos fines attige-
re, Adolphus Wolff Metternich, equo desiliens,
Vladislaum Principem, nomine Neoburgici Du-
cis Wolffgangi Guilielmi (qui in Hispaniam, ut
dixi, paulo ante discesserat) humanissima saluta-
tione excepit: qua peracta, rursus insiliens equum,
per Universam Provinciam porro, Commissarii
munere fungens, comitabatur. Adfuere & ex prę-
sidio Juliacensi milites sagittariique, ut Principem
securitatis gratia, una cum Electoris Coloniensis
Guardia, comitarentur. In plerisq; Juliacensium
pagis, puellæ, tenso per adversum, vel transver-
sum plateæ, filo, Vladislai Principis (quem
ex antecedentium militum proditione, & pluma
pilei alba nigraq; cognoverant) equum veluti ca-
ptum detinuere; donec aliquod ipsis honorarium
offerretur. Hoc plerumq; Sponsæ, sparsis capillis,
fecere. Per hæc tam frequentia puellarum studia,
Iuliacum venit Juliaco Princeps appropinquavit. Civitate vero
ipsa jam oculis incurrente, Administrator, seu Vi-
ces gerens Neoburgici Ducis, cum Gubernatore
arcis, officialibus belli, magnaque nobilium Pro-
vincialium manu, occurrit. Qui, prævia felicis
adventus congratulatione, desiderium Ducis Do-
mini sui, Hispanico itinere impediti, fruendi hac
felicitate exponit: deinde Vladislaum Principem
ad

ad civitatem castrumque deducit. Interim tor-
menta omnia, magno aëris fragore, lætitiam te-
stabantur. Quin immo & Gubernator, quasi non
esset ulterius quod imperaret, quod regeret, quod
custodiret, traditis Principi clavibus arcis, omnia
sua Principi, & seipsum commendavit.

Inde, cum Poloniæ Princeps sequenti die san-
ctissimas, & non, nisi evoluto septennio, publice o-
stendi solitas, Aquisgrani reliquias, & vidisset, &
veneratus fuisset, ad primos septendecim Provin-
ciarum, hoc est Belgii, fines pervenit. Sed, ecce,
jam Serenissimæ Infantis Legatus, Comes de valle, *In Belgij*
tanto terrarum spatio, Bruxellis, in occursum Se- *limitibus*
renissimi Principis Vladislai missus, magno nobi- *à Legato*
lium numero stipatus, adventum ejus præstolaba- *Serenissi-*
tur: & humanissima Oratione, Serenissimæ Infan- *mæ Infan-*
tis nomine, excipiebat: qua absoluta Wisetham *tis exci-*
simul perrexere. Ibi, cum rumor esset quingentos *pitur 3. Sept.*
Hollandorum equites, Serenissimo Principi insidi-
as struere, Stratagemate agendum ratus, publice
spargi jussit, Leodium se vel Terlemontum versus,
iter suscepturum, Officialibus interim clam mo-
nitis, tota nocte Diesthemium esse properandum.
Hac solertia & celeritate Principis Vladislai factū
est, quod Batavi, primo, qui in vulgus iverat, ru-
more decepti, Leodium & Terlemontum versus,
X itinera

itinera incassum observarēt,& Serenissimus Princeps, expedito itinere, tota nocte progressus, octava matutina, Diesthemium, salvus cum suis intraret. Sed cum sopor omnes occupasset, ad tertiam usque pomeridianam quiescitur, & debitum noctis, interversa hac parte natura, diei impenditur. Interea temporis refectio præparabatur, quæ, quoniam hora non nisi, post meridiem, quarta, sumpta est, pro prandio simul & cœna satisfecit. Tum tenebris iterum restituto sopore, stipulata rursus cum nocte concordia.

Diesthemium venit 5. Sept.

Mane, hora inter quintam & sextam media, Dominus Pacius, cum Comite de Rhekam (qui Coloniâ nuper Bruxellas præcesserant, & nunc die antecedenti, cum Serenissimæ Infantis aula, in occursum Serenissimo Principi, Namurcum profecti fuerant) advenere. Adeo quippe, sparsus, solertia Principis, Wisethæ rumor, invaluerat, ut Infantis aula, pari errore cum Batavis, circa Vladislai Principis iter, caligaret. Cæterum parem gaudio & festivis congratulationibus diem, ante hac, Belgium fere non meminit, qualiter hanc ipsam, non leviter obstupefactum, sensit. Postquam enim Vladislaus Princeps, Diesthemio profectus, ad illam, celebratis, à maximis, Lipsio & Puteano, Viris, miraculis celebrem, D. Virginem Aspricollensem,

Lovaniū intrat 6. Sept.

sem, Sacrum, musicis instrumentis solenne, audivisset, & jam Lovanio, verissimis Belgarum Athenis, appropinquaret, medio, ab illa Urbe, milliari, Comes de Nojelles, Infantis Oeconomus, cum ejusdem aula & Guardia, occurrens, Infantis nomine, Poloniæ Principem salutavit. Paululum deinde progressi, civium nonnullæ cohortes, quatuor distinctæ vexillis, ab utroque latere viæ, per medium Serenissimum transeuntem, festivis bombadarum explosionibus, honoraverunt. Cum portam ipsam ingrederentur, machinæ grandiores & mortaria, ut vocant, in publicæ lætitiæ signum, detonuere. Musica deinde, mixta suavissima variorum musicalium instrumentorum harmonia, Sarmatarum animos auresque demulsit; ut non tantum Belgium, sed in Belgio Musarum quoq; domicilium se intrasse animadverterent, & non uno festivitatis & lætitiæ gressu, ad hospitium prandiumque ferrentur. Hoc Regali prorsus magnificentia, Principi, in Dalensi Collegio, præparatum fuit. Ibi Hispanus nobilis, genu flexo, Vladislao aquam porrexit. Quia autem eo, quo Archidux Albertus, modo, Poloniæ Princeps, jussu Infantis, tractari debebat, nullus, nisi Dux Radzivillius, in eadem, cum Principe, camera lavit, reliquis in antecameram

 lotum

lotum exeuntibus. Quin imo Infantis Legatus, Comes de Nojelles, rogatus, ut Principis mensæ accumberet, potius moriturum sese, quam id facturum, respondit. Tantum quoque Vladislai Principis reverentiæ & obsequio datum, ut neq; incolarum quisquam, neque exterorum, imo ne famulorum quidem Principis, aut spectatum, aut servitum admitteretur.

Mirus cōcursus hominū Vladislaū videre cupientiū.

Cæterum cum Belgium universum, præsentiam tanti Principis (cujus famam, fractis paulo ante Orientis Viribus, & Osmano Turcarum Imperatore, ad mortem usque, victo, prostrato, humiliato, per omnes totius Orbis nationes, immensa cum gloria, properantem, mirabatur, & cujus faciem videre, inter felicia sua numerabat) sentiret, ex omnibus passim Provinciis, Urbibus, Locis, Magnates juxta ac plebei, ad videndum concurrebant. Adeo ut, cum, post prandium, Lovanio Bruxellas moveret, totum iter, quod quinque milliarium est, curribus, equis, hominibus, euntibus & redeuntibus, occurrentibus & à tergo sequentibus, ita fuerit refertum, ut forum quodpiam nundinale videretur. Et inter hanc, hinc inde approperantium, abeuntiumque frequentiam, quatuor milliaria, Poloniæ Princeps confecit. Ad quintum autem cum pervenisset,

ecce nova reverentiæ facies, novum lætitiæ argumentum, novus honor. Quippe Præfecti stabuli, rhedis, curribus, & equis, occurrebant. Quorum major Comes Octavio, rhedam pretiosissimam, & expresse noviter pro Vladislao Principe factam, eidem tunc præsentavit.

Varij occurrunt Poloniæ Principi.

Et jam Poloniæ Principi, Urbi magis magisq; appropinquanti, alii aliiq; honores deferebantur: quin immo & ipsi Hispaniæ Grandes, obviam illi exire voluerunt, petieruntque. Sed adeo Vladislaus Princeps recusavit, ut Principis titulum, si id fieret, exuturum se diceret, confusumque iri ex illis quicunque venisset. Attamen ne sic quidem omnium officiositatem evasit. Quippe unus ex illis, humanitate fortassis, vel affectu, cæteros anteire cupiens, Ducibus, Comitibus, reliquisque Serenissimæ Infantis aulicis, in occursum Principis festinantibus, sese inseruit. Ad quos cum Serenissimus Princeps, paulo post Præfectos stabuli, pervenisset, omnibus salutatis, illum nec affatu, nec nutu quidem venerabatur; adeoq; præposterum ejus humanitatis officium prudentissime castigavit. Ante ipsam Urbem, cum Poloniæ Princeps jam pervenisset, civium Bruxellensium major pars, sub tredecim vexillis, ordine in aciem efformato, explosione bambar-

darum, conceptam, ex tanti Principis præsentia, lætitiam testabatur.

Cum autem, adulta jam nocte, civitatem ingrederetur, collucentibus undiq; tædis, rogis, facibusq;, non aliter, debellatis tenebris, quam mera die progrediebatur. Unum autem, non interruptam hucusque istius diei lætitiam, festivitatemque, velut nubes serenitatem solet, infortunium corrupit: Quod tamen insignis prudentia, clementia, virtusque Principis, tantum suum esse voluit, ne ad alios vel nutu exiens, periculum infelici reo, & publicæ hilaritati, tristitiæ nebulas intermisceret. Res est. Quia eodem, quo, gloriosæ memoriæ, Archidux Albertus, honore, Poloniæ Princeps recipi afficique debebat, more tunc temporis recepto, domitores equorum, seu Cavalirizzi, Serenissimo Principi quoq; occurrentes, ab utroque latere, ad Palatium comitabantur. Horum unus præmonitus, ante adventum Vladislai, ut ferrum, quo vagina gladii præmunitur, vacillans, curaret firmari, neglexerat. Jam autem, fungens quoque officio suo, in porta ipsius Palatii Bruxellensis, inter murum & currum propius advectum medius, neque, ob ingruentem equitum turmam, pedem reducere valens, manubrio gladii in murum impacto, apicem

Bruxellas intrat, vulneratur, & ab Infante excipitur

cem ejusdem, vi pergentis currus, pedi Principis infixit. Sensit se vulneratum Vladislaus, indicium tamen doloris nullum prodidit, sed vulnerantem manu protrudens, ad aulæ majoris gradus perrexit. In gradibus soli Radzivillio Duci vulneratum se querebatur: cui, quo in loco, petenti, pedem & ocreas totas cruentatas ostendit. Horrente & attonito Radzivillio Duce, Princeps magis magisque impallescebat. Attamen, ut & peccantis saluti consuleret, & ansam tumultus majoris eriperet, rem totam, silentio tectam, dissimulavit. Quam recte, Senecam audiamus. *Nihil pulchrius existimo,* inquit, *in fastigio collocatis, quam multarum rerum veniam dare, nullius petere.* Cæterum Serenissimo Principi, medietatem graduum jam emenso, Infans Hispaniarum, Isabella Clara Eugenia, Belgarum Princeps, monastico virginum Carmelitarũ habitu vestita, occurrebat, et, humanissima salutatione prævia, eundem appræhensa manu, ad amplissimam salam deduxit. In qua Poloniæ Princeps, donec totum transiret gynecœum, moratus, tandem, comitantibus ipsis Hispaniæ Grandibus, reliquisque aulicis, in conclave, olim Archiducis, nunc suæ commorationi designatum, descendit. Et sic quidem festivitati istius diei finis impositus.

Consol. ad Mar.

Jam

Varia in honorem Principis instituuntur.

Jam vero quis honor, quæ reverentia, quis respectus, qui ludi, quæ convivia, omnia ad Serenissimi Poloniæ Principis gratiam, subsequentibus aliquot diebus, instituta fuerint, nemo facile dixerit, scripseritve. Nam & Serenissima Infans, eodem, cum Principe, curru vecta, D. Virginem Lachensem visitavit: & varias variorum, intercessionem Serenissimi Principis efflagitantium, prætensiones, in ejus gratiam, omnes absolvit, nihil negavit. Cardinalis Cuova, Nuncius Apostolicus, Duces, Principes, Comites, Marchiones, Magnatesque terræ, certatim visitavere. Patres Societatis, cum ipsorum templum visitaret, erectis arcubus triumphalibus, sparsoque, qua iturus erat, per vias gramine, & tragicomædia, de felicitate hujus mundi, exhibita, præsentiam ejus honoraverunt. Ad S. Gudulam, tres hostias miraculosas visitaturus, tanta hominum, utriusque sexus, multitudo, ad videndum Principem, vastissimum alias templum opplevit, quanta integræ regioni sufficeret. Vix aditus transitusque Magnatibus ipsis patebat. Multorum autē, ex nimia compressione, vita, plurimorū valetudo sollicitata. Apud Illustrissimos Duces, Arschotanum, Croycium, Bornevillium, Comitem Embdensem, aliosq; Illustrissimos generosissimosque Dominos, balleta, ut vocant, & choreæ, cum Illustrissimis nobilissimisque Domicellis, quotidianæ. Convivia vero, sumptu, dapiumq; numero, prorsus regalia. In quibus aliis, fercula pleraque, vexillulis, in quibus Vladislaus Princeps, Osmanum Turcarum Imperatorem, framea conficiens, spectabatur, insignita conspiciebantur. In aliis variorum Principum Magnatumq; sanitates (signum lætitiæ interim, pro more Patriæ, facientibus tubis, cultris patenas, pugnis mensam pulsantibus) propinatæ. Treverium quoque (locus hic est, Serenissimorum Belgarum Principum voluptati, recreationique destinatus, magnificentia, picturis, situsq; amænitate singularis) per otium visitatum: ut non uno voluptatis genere Princeps afficeretur: sed oculis quoq; & varietate locorum deliciæ quærerentur, & nova semper novaq; curiositate, nausea tediumq; deliciarum fugaretur. Quatuordecim dies integras, hæ tractationes, hæc convivia, hi honores, hæc gaudia, hæ choreæ, hæc tripudia, & hisce similia, tenuere. Præterquam quod ludicra alia, hastiludia, spectacula, in honorem omnia Serenissimi Poloniæ Principis instituta, & peracta fuerint.

Mechlinia proficiscitur. 21. Sept.

Decimaquinta tandem, ab adventu, die, Vladislaus Princeps, recta ad castra Bredaica profecturus,

ॠcturus, cum jam in procinctu esset, allato de adventu Mauritii Auriaci Principis, Bredam versus tendentis, nuncio, ab instituto deflectens, Antuerpiam iter direxit. Comitabantur Principem, præter ordinariam Palatii Infantini familiam, honoris gratia, Dux Croycius, Comes Octavius, Comes Nojelles, aliique Magnates. Per nitidissimam Brabanticarum Urbium Mechliniam iter fuit. Hujus pomerio cum appropinquasset, cives armati, & in quinq; vexilla distincti, in apertos cãpos prodiere, & Poloniæ Principem repetitis bombardarum explosionibus venerati, ad Palatium Comitum Hooghstratensium comitabantur. Mox Consules Civitatis Vladislaum salutavere, cujus intercessione, homicidæ duo, vita donati.

Antuerpia magno cum honore excipitur 22. Sept.

Altera die tantus erat utriusq; sexus, ad Poloniæ Principem videndum, confluxus, ut cum, audito in sacello Patrum Societatis Jesu Sacro, parochiale templum in transitu visitaret, vix ipsi Serenissimo Principi aditus, nisi adminiculo præcedentium esset. Cum in Palatio Willebrucensi prandium absolvisset, navem conscendit, et, faventibus fluviorum Nymphis, Antuerpiam navigavit. Magnus, ô, tum triumphus, magnum studium, magnus erga Serenissimum honor Antuerpiensium fuit. Quippe pro curribus & equis, ponte navali

vali Schaldis subjugatus. Cymbis plurimis, navis illa pulcherrima, qua Serenissimus Princeps vehebatur, à multis honoratiorum, in honorem, tum etiam summo, ante alios, videndi desiderio & curiositate ductorum, circumnavigata; adeo ut una etiam, quæ tres honoratiores cives vehebat, nimio festinandi studio inversa, rectorem & Dominos suos, piscibus devorandos, effuderit. Urbi deinde magis magisque appropinquanti, explosione tormentorum, undequaq; mirifice intonantium, Civica castrensisq; lætitia excipiebat. Egredientem navi, Senatus pulcherrimæ totius Orbis, multorum judicio, civitatis, humanissime salutavit. Civium armatorum, in triginta duo vexilla distributorum, nonnulli ante portam, nonnulli in plateis Civitatis dispositi, Poloniæ Principem, & à lateribus, & à tergo, & à fronte concludentes, ad hospitium (quod erat Palatium Domini Simenes, in platea, super Marinam, dicta) comitabantur. Et ne sic quidem honori tanti Principis satisfactũ credentes, aliquot deinde horis, domum ipsam & transitu, & tympanis, & explosionibus, & tibiis, laudabili in armis & affectu constantia, salutavere. Tres dies integras, Poloniæ Princeps, lustrandæ Urbi impendit; ita quoque singula scrutatus, ut typographiam, pictorum tapetiumq; officinas,

 quoq;

quoq; non dedignaretur. Nihil æque tamen ac castri inexpugnabilis, Urbisque munimenta: curiæ operumq; publicorum magnificentiam: D. Virginis Mariæ picturas, ornamenta, & altissimæ turris artificium: & templi novi, domus professæ Societatis Jesu, intus ex marmore & alabastro prorsus incrustati, picturis, aureis argenteisque ornamentis, statuisque rarissimi, decorem nitoremque collaudavit.

Quarta demum die (cum pridie vesperi Comes de Salazar, alias Don Luy de Velasco, Generalis equitum præfectus, cum duobus millibus equitum, è castris Bredaicis, ad Vladislaum Principem deducendum venisset) ad Bredaica castra profectus est. Cujus adventu cognito, Marchio Ambrosius Spinola, cum aliis exercitus Primatibus, Serenissimo Principi, ad medium milliare, occurrebat. Henricus Comes Montensis, Locum tenens equitum Generalis, tribus millibus equitum, ante ipsa castra dispositis, venientem Poloniæ Principem salutabat. Cum ergo tot Heroibus, tot probatissimis belli Ducibus, tot fortissimis & exercitatissimis equitum millibus comitatus, castra ipsa ingrederetur, tremuere propugnacula universa, & vicina tellus. Quippe Spinola jusserat, in honorem Poloniæ Principis, omnes in circuitu castrorum machinas, alternantibus longioribus tubis, & schlopetariis omnibus, in obsessos exonerari. Obstupuere, cum factum antea nunquam fuisset, ad insolitæ rei tumultum Bredanenses, & quis Mars, quæ Bellona, quod præsidium subsidiumve novum, in hostilia castra venisset, à vicinioribus Hispanorum excubiis, interrogavere; occulto quodam Famæ Genio, quo, fortissimum Poloniæ Principem Vladislaum advenisse, tam hostes, quam amici, cognoscerent.

In castra Bredaica venit 26. Septemb.

Admirabile quoq; hoc, si non penitus ominosum. Sub idem tempus, cum castra Poloniæ Princeps ingrederetur, Luna viduata luce à Sole communicata, deliquium pati cæpit: quasi Vladislaum, ad arma iterum castraq; transgressum, Turcicæ Lunæ deliquii commonefaceret: aut quod passa ad Tyram, sub Osmano, erat: aut quod, ejus auspiciis, aliquando passura esset, ominaretur. Nec aliter ipse Ambrosius Spinola accepit: & non irrito spiritu dictante prædixit, Serenissimum Principem eum aliquando fore, qui liberæ nationis (cui brevi imperaturus esset) armis nixus, ut Turcicum Sydus æternum defectum sui, militaris luminis, scilicet gloriæ & fortunæ, pateretur, olim effecturus esset.

Sub ingressum ejus Luna defectus.

Spinola directione exercitus in ipsum transfert, & ei ad mensam inservit.

Quin imo, motus reverentia nominis, fretus fortitudine, virtute, & victoriarum numero Vladislai Principis, magnus ille Imperator, ad præsentiam ejus, personam, quam gerebat, exuit, & potestatem omnem, dispositionem omnem, regimen & imperium omne, salutem & securitatem totius obsidentis exercitus, denique dispositionem promptionemq; tesseræ ipsius militaris, non infeliciter in sinum ejus deposuit. Necdum satis. Ubi cœnam Serenissimus Princeps, in ædificio, extemporanie quidem, sed commode pro ipso præparato, sumpsit, nullus neq; Principum, neq; Comitum, neque Marchionum, neq; belli Ducum, accumbere mensæ præsumpsit. Sed Generalis ipse Marchio Ambrosius Spinola, cum Primoribus castrorum aliis, una cum Serenissimi famulis, mensæ inservivit, inde ipse cum aliis comedit.

Castra circuire incipit, & mira Spinolæ industria. 27. Sept.

Ut sequens dies illuxit, Spinola nihil potius habuit, quam, cum belli Ducibus aliis, Vladislaum invisere: immo rogare, dignaretur castra circuire, sub oculis ejus universa esse, & judicio ipsius cuncta submittere. Operum enim suorum spectatorem tantum Principem desiderare, quem censorem dudum animo suo destinasset. Annuit Poloniæ Princeps, jam antea curiosus, celebrata toto Orbe munimẽta lustrare. Ut vel rumore cognove-

rat Principis voluntatem exercitus, nihil ilico nisi tubæ & tympana, militum arma induentium fragor, & ad suas promiscue stationes se conferentium strepitus, audiebatur; adeo ut maxima illa istius exercitus moles, quasi momento temporis, legionibus signisq; distincta; & in unis castris, sed diversis munitionibus stationibusque, in armis, quasi pugnatura staret, & nutum Vladislai Principis præstolaretur. Et hic quidem castra circuitu incipiens emetiri, propugnacula singula, singulas legiones, invisens, tormentorum schlopetorumq; explosionibus, vexillorum submissionibus, omnique exercitio militiæ, disciplinæq; Belgicæ, ubiq; honorabatur. Accidit autem ut curiosius omnia lustrans Vladislaus, & bacillo oportunum munitioni extruendæ locum demonstrans, diceret, *Si propugnaculum hic exstrueretur.* Ad aures Spinolæ venit: atque cum tantus Princeps, bellique peritissimus, recte censuisse videretur, statim, à digressu ejus, moliri jussit; tanta celeritate, ut sequenti die, fortalitiũ cæteris altius, eodem, quem monstraverat, loco, Serenissimus Poloniæ Princeps videret. Cæterum tam vastus erat castrorum gyrus, ut Princeps ea die, septem horarum spatio, vix dimidiam partem lustraret. Et ne hoc quidem sine periculo. Obsessi quippe in ipsum, & comi-

tatum ejus, grandioribus machinis, sæpius detonuere; adeo ut candentes globi verticem aliquando, quandoq; frontem prætervolarent. Sed propositi sui tenax Vladislaus, nec ejusmodi bombis inassuetus, tanti non æstimavit, ut vestigio moveretur. Unus autem in stabulum penetrans, unum ex equis Serenissimæ Infantis (quibus Poloniæ Princeps in castra vectus fuerat) occidit, alterum Domini Pacii vulneravit.

Unam noctem Vladislaus Princeps, inter dimidias castrorum partes, interposuit & quievit. Altera enim die mox restantem castrorum partem aggressus est, eodem exercitus, in eundem Principem, obsequio, eadem reverentia, eodem honore. Interim hesterno periculo monitus, caute & provide omnes, quos reverentia ipsi aut comites, aut pedissequos adjunxerat (ipsorum saluti consulens, ne, turmatim incedentes, periculum globorum incurrerent) à se removit: & sic illum, qui restabat, semicirculum, majori cum securitate, alio septem horarum spatio, feliciter absolvit. Placuit prudentissimo Principi, æstimatissimi, suo ævo, probatissimique Belli Ducis, Ambrosii Spinolæ, ingenium, prudentia, disciplina: & conatus ipsius egregios, inventa plane Mavortia, & militaria prorsus consilia, collaudavit. Et Marchio Ambrosius

Alteram medietatẽ castrorum circuit. 28. Sept.

brosius Spinola, inter sua felicia numeravit, tanto Principi placuisse.

Tertiam diem Poloniæ Princeps, castrorum commeatui lustrando impendit. Inter reliqua admiratione dignissima, ista potissimum videri meruerunt, quod octo braxatoriis nunquam quiescentibus, exercitui universo, cervisia coqueretur, & tredecim furnis, quotidie, septendecim millia panes pinserentur. Cæterum Dux Radzivillius, tot tantisque spectaculis, ægritudine impeditus, interesse non poterat. Pridie enim quam Serenissimus Poloniæ Princeps, ad castra Bredaica proficisceretur, dolorem in majore dexteri pedis digito senserat, qui in morbum deinde abiens, tantas, brevi temporis spatio, vires sumpsit, ut, Vladislao Principe mane ad castra Bredaica discedente, non tantum Antuerpiæ remanere, sed Bruxellas quoque reverti, coactus fuerit. Quem in Palatio ægrotantem, Cardinalis Cuova, Nuncius Apostolicus, Duces, Arschotanus & Croycius, Comes Embdensis, & Magnates alii visitavere. Quin immo & Serenissima Infans sciscitatum de valetudine misit, & hac ipsa quidem die, qua Serenissimus Vladislaus Princeps commeatum castrorum lustrabat, qui S. Michaëlis erat Bruxellensis Civitatis Patroni, cubicularium misit significatum, ante Infantem ad processionem,

Castrorũ commeatum lustrat. 29. Sept.

ſionem, quæ fieri ea die conſuevit, non ituram, quam ſciret, quo ſtatu Ducis valetudo eſſet. Nec ante etiam, quam reſponſo accepto, diſceſſit.

Attamen, ut ad Poloniæ Principem revertamur, hic quarta die, ſub ortum Solis, priore Comitis de Salazar comitatu, ex caſtris Bredaicis, *Antuerpiam revertitur. 30. Sept.* Antuerpiam verſus diſceſſit: quem Marchio Ambroſius Spinola, terna tormentorum, in circuitu caſtrorum, exploſione, poſt omnia humanitatis, benevolentiæ, reverentiæ, & obſequiorum officia, proſequebatur. Cum Antuerpiam vero ingrederetur, Generali equitum Præfecto Comiti de Salazar, annulum, proprio digito ſuo detractum, remunerationis ergo donavit. Inde, ſecunda die, *2. Octob. Bruxellas rediens, vulnus in pede curat.* Bruxellas rediit. Ibi eodem, quo prius, honore, reverentia, & magnificentia habitus & tractatus. Una autem eum curandi conſolidandiq;, primo adventu inflicti, in pede vulneris, cauſa angebat. Itaque, è Medicorum conſilio, lectulo ſeſe quietique compoſuit: quem ipſa Infans Hiſpaniarum ſtatim inviſit. Non ante tamen convaluit, quam die quinta, qua affixus jam lecto hæſerat, cucurbitulæ applicarentur. Et tam feliciter hoc, ut altera mox, hoc eſt ſexta, die, per cameram obambularet: ſeptima iterum choreis nocturnis, apud Ducem Arſchotanum, intereſſet.

Sed

Sed jam & nauſea deliciarum, & cana præforibus Hyems, ad viciniores Soli caloriq; Provincias, properandum ſuaſit. Itaque Vladislaus Princeps, per Caſparum Nagotium, expenſarum ſuarum Præfectum, omnibus ſingulisque Infantis Officialibus, præcipuisque aulicis, torques aureas, et, quo frequentior eſſet memoria ſui, cum propria effigie ſua diſtribuit. *Officialibus Infantis munera distribuit. 11. Octob.*

Noluit ſe munificentia vinci, à regio Regij adoleſcentis animo, Iſabella Clara Eugenia Hiſpaniarum Infans, & mox, ſequenti die, dona quoq; Poloniæ Principis comitatui detulit. Radzivillio Duci metallum (ut vocant) aureum, pretioſis lapillis & magnitudine præcellens: ſimile, ſed minus, Dominis, Pacio, Zolkevio, Dönhoffio, & Kazanovio. Cæteris Poloniæ Principis cubiculariis famuliſque, catenas aureas duplices: Domino Nagotio quoque, & domeſticis reliquis, catenæ aureæ datæ. *Infans comitatui Poloniæ Principis dona offert 12. Octob.*

Inde, cum altera dies choreis, apud Ducem Croycium, eſſet impenſa, tandem 14. Octob: Sereniſſimæ Infanti valedicens, Bruxellis diſceſſit. *Vladislaus Princeps Bruxellis diſcedit. 14. Octob.* Comitabantur, honoris gratia, Sereniſſimum Poloniæ Principem, præter Sereniſſimæ Infantis domeſticos, Dux Arſchotanus, Dux Croycius, Comes de Noielles, Baro de Buliers, Dominus Olivares ſupremus

premus

premus expensarum Præfectus, aliiq; Magnates Belgici, totius diei itinere, Nivellam usque: & nocte illa choreis transacta, soli ex illis, Duces, Arschotanus & Croycius, mane Bruxellas rediere; reliquis, ad ipsos Lutzenburgicos Belgiiq; fines, ubique occurrentibus excipientibusq; armatis subditis, usque ultimum Hispano-Belgicæ ditionis pagum, Abbe dictum, perseverantibus.

Metas ignotus lustrat. 21. Oct.

Ibi cum ab invicem, valedictione peracta, discederetur, Poloniæ Principem, Mediomatrices, sive Metas, & antiquitate, & munitionibus, & Francisci primi Galliarum Regis expugnatione; tum etiam Caroli V. Imperatoris irrita obsidione celebres, ex occasione videndi curiositas invasit. Itaque, cæteris Nanceium recta pergentibus, Vladislaus Princeps, cum Radzivillio Duce, Illustrissimis Dominis, Dönhoffio & Kazanovio, duobus insuper famulis, illac à via deflectit. Et per pontem quidem, responso super natione reddito, transmissus est. Portam ipsam vero ingredienti, excubitor sese objiciens, Officialem (quem Corporalem illi vocant) accersivit. Qui cum, corrugato in Saturninam austeritatem vultu, interrogasset: qui genus, unde domo, quid negotii, & an litteras alicui deferrent; atque id responsi retulisset, duos nobiles Polonos & duos Germa-

nos, cum duobus famulis esse, qui curiositate videndæ civitatis Metensis invitati, à recto itinere, quo Nancejum tendebant, descivissent, postero statim die alio se collaturi. Patientia Dominis commendata, prætextuque consensus à Gubernatore petendi, coacta, sono tympani, frequentiore militum manu, custodiam portæ auget. Data, paulo post, omnibus intrandi copia, dispositi utrinque militum ordines, defixis obtutibus, veluti aliquid hostile metuentes, quoad possunt, ipsos prosequuntur: assignato è collegis suis uno, qui eos, ad diversorium parvi Æthiopis, deduceret. Vespere quidam è dictis militibus Kazanovio obviam factus, ab eodem ad cœnam invitatur. Qui cum super ratione tantæ difficultatis, in intromittendis ipsis facta, interrogaretur: subfuisse metum respondit; primo propter colorem baltheorum, qui, quia ruber erat, pro factione Austriaca habebatur: deinde propter apparentiam personarum, quæ Martem spirare, & eminentius quid, quam ordinarii militis conditionem, præ se ferre videbatur.

Savernā ingreditur 24. Octob.

Postera die, lustratum templum, perambulata Civitas, ascensum campanile, & exinde Metis discessum. In itinere occurrenti cuidam viro, à Dn.

à Dn. Dönhoff dictum, Vicegubernatori Metensi ut nuntiaret, Poloniæ Principem in civitate pernoctasse: qui, etsi difficulter, & post longam moram, intromissus fuerit, tamen, superato fastidio, perhumana ipsum salute impertire. Vir hic, novitate rei attonitus, facta Principi reverentia, strenuam, in expediendo rei commissæ negotio, pollicetur operam: Quo peracto, per Nancejum, Savernam recta properatum. Antequam vero Savernam ingrederentur, Archidux Leopoldus (qui jam ante, invitatum Poloniæ Principem, aulicum Bruxellas usq; miserat) cum tota aula, armatisq; civibus, obviam processit, et, repetitis tormentorum explosionibus, in civitatem & Palatium suum deduxit.

Cum autem comitatus Vladislai Principis nondum advenisset, altera die, assumpto secum Archiducis supremo stabili Præfecto, Argentoratum excurrens, quod summopore desiderabat, nemini notus intravit. Qua de re lætus, jucunda cum libertate, Urbem perambulabat. Attamen majoris momenti & rei Argentina erat, quam ut uno vespere perlustraretur: quare & maximam insequentis diei partem, curiositati impendit. Tum armamentarium toto Orbe celeberrimum: campanile templi majoris, vix aliud par agnoscens;

Argentoratũ excurrit. 25. Oct.

scens: organa soni suavitate multum commendata: rarum illud arte & magnificentia horologium: altare insuper majus, mira dexteritate, à Monacho quodam, olim, & presbytero seculari sculptum, perlustravit. Quibus visis, flexo ad pontem Rheno injectum itinere, circuitaq; curru Urbe, sub noctem, Savernam reversus est.

Inde sequentibus aliquot diebus gratissimæ conversationi, lætitiæ, choreisque datis: visisq; per otium, Molshemio, Benfelda, Schletstadio, Brisaco, Ruvachia, & Eisenhemio, civitatibus, Poloniæ Princeps, antequam primis & copiosis nivibus, Alpium valles & juga occuparentur, in Italiam iter dixerit. Itaque Archiduce Leopoldo valedicto, per Basileam, Grisones, & Rhetos: per Soloturnensium, & Lucernensium fines, properatum; & ipsa Helvetiæ viscera, non sine periculo, peragrata. Visus, per transitum, locus, olim, Leopoldici exercitus fusione, nobilitatus. Transmissus rate, Flielam usque, Lucernensium lacus, & notati, ex alto, in littore, loci, in quibus Guilielmus Uraniensis, manus Præsidis & Captivitatem evadens, se præcipitem dedit: & areola illa, in qua moles rebellionis, à tribus illis rusticis, quotidiano clandestinoque conventu, fabricata. Insuper & rudera arcis Habsburgensis (fons ille, ex

Ab Archiduce, Italiam versus discedit. 6. Novem.

ex quo mare gloriæ Austriacæ effusum est) perlustrata. Tandem ad horribilia, Gothardici montis, præcipitia ventum est, & transitus pons ille, qui reliquiis Pontis Infernalis adstructus est. Et, quinq; horarum spatio, superans Carpathiis suis altiora cacumina, Poloniæ Princeps, in apicem summumq; evasit.

In Italiā venit & summo ubiq; honore excipitur.

Et jam pedibus Alpium superiora calcans, subjectam oculis à Septentrione Germaniam, ab Occidente Galliam, à Meridie, quā petebat, Italiam intuebatur: sed mox, prono itinere, pro ut se montium valliumque illarum situs offerebant, in Longobardiam cum suis præceps ferebatur. Tum vero Vladislao Principi, sua ipsius indoles, sua ipsius memoria, & exterarum linguarum à juventute studium, non parum usui venit; cum ipsorum idiomate Italis, non secus ac Italus ipse, Sarmata loqueretur. Itaq; à terræ Magnatibus, non sine insolenti quodam spectaculo, ut incola, quodammodo civesque suscipiebatur, honorabatur, habebatur: qui in Polonia natus, per Germaniam, ab illa terra veniebat. Invitabant ergo certatim varii Principes, Duces, & Marchiones. Sed Poloniæ Princeps, cum illas magni nominis Urbes, Mediolanum, Genuamque, & quæcunq; in iis notabilia incognitus perlustrasset, Romam quoq;

quoq; nemini notus pergere meditabatur. Sed ubiq; eum curiositas hominum fere aperuit, & frequenti ex vicinis Urbibus Oppidisq;, Magnatum juxta ac plebeiorum, concursu, quem sola curiositas videndi eum causaverat, honorabatur. Ita à Parmæ Principe, Mutinæ & Urbini Ducibus, aliisq; generosissimis Viris Dominisq;, tenerrimo passim affectu excipiebatur. Et, verbo, ausim affirmare, non alium tunc Italiæ sensum fuisse, cum Poloniæ Principem Vladislaum, Moscoviticis, Turcicis, Tartaricisq; victoriis densum, susciperet, quam si denuo triumpharet.

A Summo Pontifice Romam invitatur 10. Dec:

Quod ne me dicere tantum aliquis judicet, ipsas Summi Pontificis litteras, Poloniæ Principi, cum, perlustrata Bononia, & transito Rubicone, Ariminum pervenisset, per Ducem Carolum Magallotti 10. Decemb: traditas, inspiciamus.

URBANUS. PP. VIII.

Dilectissime in Christo fili noster, Salutem & Apostolicam benedictionem.

HÆc Patria generis humani, quæ non semel armatos terrarum triumphatores vidit ad Piscatoris sepulchrum procumbentes, cum jam diu anxiis votis te vocet, propinqua nunc adventus tui spe summopere lætatur. Cum enim indicta pridem Anni Christiani

ſtiani & Sancti Jubilæi ſolennitas credentes populos ad hoc Religionis Sanctuarium convocet; jucundum Cœlo hominibusque ſpectaculum fies Poloniæ Princeps, qui Regiam juventutem illuſtribus victorijs Catholicæ Eccleſiæ commendaſti. Excitam illam Aquilonis Orientisque latebris colluviem Turcarum atque Tartarorum, quæ toti Europæ non ita pridem videbatur diluvium minitari, Roma ſcit Poloniæ Prtncipis virtute compreſſam, coactamque fuiſſe ſalutem meticuloſa pactione & fuga turpi redimere. Proin cogitare potes, te hic Urbis amore, & populorum plauſu colendum, ubi fortitudinis tuæ trophæa, quæ Clriſtianitatis propugnacula fuerunt, conſentientibus nationum tam diverſarum vocibus celebrantur. Nos vero, qui jam diu triumphalibus nominis tui laudibus favemus, Apoſtolici amoris brachiis te complectemur, decꝰ Septentrionis & fidei præſidiū. Scito ergo te maxima, adventu tuo, Pontificiæ charitati ſolatia allaturum, qui certe præſens cognoſces, quanti apud nos ij Principes ſint, qui Barbaricam impietatem profligantes, cœleſte regnum in terra propagant. Mentem noſtrā uberius declarabit dilectus filius Carolus Magallottus, cuſtodiarum noſtrarum Generalis Locumtenens, Barberini Nepotis noſtri Avunculus, & Cardinalis Magallotti frater, quem nobis chariſſimum ad te ablegamus, ut Apoſtolicas litteras afferens, Paternum deſiderium noſtrum, tibi ſignificet. Is autem ſe nobis morem geſſiſſe tum arbitrabitur, cū omni officij atque obſequij genere demereri poterit Patrocinium tanti Principis, cui ad nos proficiſcenti felix iter precamur, & Apoſtolicam benedictionem amantiſſime impertimur. Datum Romæ apud S. Petrum, ſub Annulo Piſcatoris, die 28. Novembris, Anno 1624. Pontificatus noſtri Anno ſecundo.

His Pontificiis litteris Poloniæ Princeps Romam invitatus, per Anconam, & Loretum (ubi reliquias vidit, devotionem abſolvit, & votivam S. Wladislai ſtatuam auream obtulit) recta Romam properavit. Cum autem in Caſtelnovo pervéniſſet, Cardinalis de Torres, Poloniæ Principi in occurſum venit. Mirum dictu, quanta, in ſalutatione, jucunditas utrimque eluxerit: gratulantibus ſibi mutuo, hanc tantopere deſideratam, revidendi occaſionem. Cæterum, cum Romæ, Poloniȩ Principem, tot nobiliſſimis victoriis clarum, jam in propinquo eſſe, tota paſſim Urbe vagaretur, & concurſus ingens, tantum videndi Principem curioſorum hominum, nullo turbidi aëris pluviæq; habito reſpectu, fieret, Vladislaus Princeps, clauſo curru, ne, ob præſentiam Cardinalis, agnoſceretur, Romam perrexit, Palatiumq; Domini Ammerini Caponi, prope portam populi, commorationi ſuæ aſſignatum invectus, mutatis

Romam venit, & ad Pontificem introducitur 20. Dec:

tantum vestibus, statim ad Palatium Summi Pontificis, à Cardinale de Torres, Summo Pontifici reverentiam facturus, deducebatur. Licet autem Poloniæ Princeps præmoneri curasset, se nullius Cardinalis occursum acceptare velle, tamen cum Summi Pontificis ante cameram veniret, expectantem illic Cardinalem Barberinum, Nepotem Summi Pontificis, offendebat: qui, occurrens Serenissimo Principi, petiit ut sibi ignosceret, quod ordinationem ejus transiliisset: non enim voluntate hoc sua factum, sed mandato Summi Pontificis. Ita Poloniæ Princeps, inter Cardinalem de Torres (cui dextera) & Cardinalem Barberinum (cui sinistra dabatur) medius, in conclave Summi Pontificis introducebatur. Et factis trinis reverentiis (ad quas singulas sua sanctitas, mediocri corporis paululum inclinati è throno sublevatione, respondebat) propius accedens, in genua provolutus, pedem Summi Pontificis osculabatur. Summus autem Pontifex, arcto complexu sublevati caput ori suo utrinque singulari cum affectu apprimens, eum Sedili ligneo depicto, ad sedendum, à manu sibi dextera invitabat: Cardinalibus de Torres & Barberino, à sinistra, in similibus sedilib⁹ collocatis à longe. Quibus, Vladislao Principe abituriente, surgentibus, Cardinalis Magal-
lottus

lottus superveniens, accessit. Sessione durante, tres circiter quadrantes familiari conversationi impendebantur; elucente semper, in Poloniæ Principe, quadam præsentia, libertate, animique magnitudine: qua non tantum existimationi, famæ virtutum suarum prænuntia, in animis omniū excitatæ respondebat, sed etiam animum Summi Pontificis mira voluptate perfusum, in spem majorum, pro fide Christi, facinorum erigebat. Expedito hoc colloquio, Dux Radzivillius cum aliis vocatus pedes Summi Pontificis osculabatur: quem, una cum Domino Pacio, Summus Pontifex statim agnovit, memoria notitiæ, Bononiæ (cum illic Legatum ageret) factæ, renovata. Felix quoque ea parte tunc Radzivillius Dux, quod Illustrissimis fratribus suis, Principe Johanne Alberto, & Principe Alexandro Ludovico, Radzivilliis, Romæ inventis, Cardinalibus Magnatibusque, reciproca visitatione, quotidie gratiosum stuporem illideret; cum ex Lithuania tam longe dissita, in Italia sua Romani, uno tempore, triplex unius Illustrissimæ Domus ornamentum, jugi congratulatione mirarentur. Cæterum ad Poloniæ Principem revertamur. Hic Papali salutatione peracta, ab aliis Cardinalibus extra conclave, à Cardinale autem de Torres, ad hospitium usq;, deductus est.

 Sub-

Varia tē- pla & Pa- latia lu- ſtrat. Subſequentibus deinde aliquot diebus, à Cardinalibus varie viſitatus, ſummis honorihus afficiebatur: præſertim cum ipſius Conſiſtorii decreto, primæ ipſi ab omnibus Cardinalibus eſſent delatæ. Præcipuas quoque Romanæ Urbis Eccleſias, præſertim Baſilicas Petri & Pauli, Mariam Rotundam, B. Virginem Populicam, S. Stephanum Rotundum, Aram Cœli, Capellam Pontificiam, ipſo Pontifice celebrante, pius viſitavit. Palatia etiam Pontificalia, S. Petri, in monte Quirinali ſive Cavallo, Cardinalis Bentivolii; Capitolium, villam Borgheſianam, hortos Mattheiorum, & Cardinalis Montali, honorificentiſſime ubique exceptus, perluſtravit. Sed & Cæremoniam apertionis portæ Sanctæ, ex theatro, è regione ipſius portæ Sanctæ, in gratiam ejus exſtructo, Chriſtianè ſpectavit.

Denique, relato à Radzivillio Duce exemplo Caroli V. Imperatoris, deſiderio videndæ S. Veronicæ (ad quam acceſſus nemini niſi S. Petri Canonico patet) Poloniæ Princeps accendebatur. Sed, cognito ejus deſiderio, an in numerum Canonicorum adſciſcendus eſſet, in Conſiſtorio agitatum eſt. Trepidantibus aliis, aliis tergiverſantibus, aliis etiam an Carolo V. Imperatori Poloniæ Princeps Vladislaus comparandus eſſet, in dubium

S. Veronicā videt, & SS. Christi faciē populo viſendā exhibet. 30. Dec.

bium vocantibus, Summus Pontifex dixit, *Carolo V. Imperatori, Poloniæ Principem Vladislaum ſeſe æquiparare, ſicut omnes eos, qui triginta prælijs Turcam fuderint.* Itaque, Pontificis ſententia prævalente, accepto ad S. Petrum Canonicatus Privilegio, Poloniæ Princeps ſuperpelliceum candidum indutus, à duobus Canonicis, ad locum, in quo S. Veronica aſſervatur, deductus eſt: & Sacroſanctam Chriſti faciem hominibus, qui illuc affluxerant, prope innumerabilibus, viſendam è ſolito theatro exhibuit, ac, formato crucis ſigno, benedictionem impertivit.

CAPVT SECVNDVM.

ARGUMENTUM.

Continuatio Peregrinationis Vladislai IV. & ejus in Poloniam reditus.

SUMMARIUM.

Elapso Anno Domini 1624. Poloniæ Princeps Neapolim proficiscitur, & varijs ibi spectaculis honoratur. Romam reverso ensis bis acutus, & pileus holosericus consecratus à Pontifice illi offertur. Cum Pontifice prandet, & ab eo corporibus SS. Primi & Feliciani donatus, Florentiam proficiscitur. Summo honore à Magno Duce excipitur, & variis solennitatibus recreatur. Pisis & Livorno visis, Venetias proficiscitur. Ibi septimanis aliquot regaliter habitus, per Styriam, Viennam, & Nissam, in Poloniam revertitur. Ejus munificentia ubique passim collaudata.

Poloniæ Princeps Roma Neapolim proficiscitur. 2. Ian:

HIs omnibus, Anno post Christum natum 1624. peractis, Poloniæ Principi in mentem venit Neapolim quoq; lustrare. Quapropter Anno 1625. 1. Januarij die, per Radzivillium Ducem, felicia novi Anni auspicia lætumque decursum Urbano VIII. Pontifici Maximo apprecatus, sequenti die, lustratis hortis Tyburtinis, Tusculo, & fontibus aquæ

quę-ductibusq; Frescatinis, eo profectus est. Cum autē ad primos Regni Neapolitani limites, Fundos pervenisset, ecce Proregis Neapolitani (qui tunc erat Dux Albæ) Commissarius Dominus Johannes Deodati, nomine Proregis, salutatione, & prandio quoque, ante adventum Poloniæ Principis regaliter præparato, excepit. Inde per felices illos Campaniæ agros, qui emollire Annibalem, fortes ejus exercitus, militares, ferreos, durosque Virorum animos olim potuere, Neapolim properatum: quam 8. Jan: die, sub vesperam tandem ingressus est. Cujus adventus ubi Proregi innotuit, statim ad eum Sellæ gestamine delatus, salutationis officium coram explevit. *Neapolim intrat 8. Ian:*

Sequenti die miraculū resolutionis sanguinis S. Januarij, quod admoto ejˀ capite fieri solet, spectavit: tertia Puteolos, reliquiarū antiquitatis lustrādarum causa profectus est. Unde reversus, à Prorege, ad Palatium ejus iterum se conferente, ad spectacula in crastinum invitabatur. Itaque Poloniæ Princeps, maturato sequenti die prandio, cum comitatu suo, ad Palatium Proregis, via secreta, per hortum (ut curiositati hominum, ad spectandum ipsum turmatim accurrentium sese eriperet) vectus, statim ad theatrum, ad spectandos ludos sibi præparatum, sese recepit; ipso Prorege in *Equestre Heroum certamen videt. 11 Ian:*

 parte,

parte, theatro Poloniæ Principis proxime ſubjecta, ſub Majeſtate ſeſſitante. Dato ſigno Poloniæ Principem adveniſſe, equites,qui præſentiam ejus exſpectabant, præviis tympanis, tibiis, aliisq; inſtrumentis bellicis, bini & bini, ſumptuoſiſſimo, & inadmirabilem magnificentiā compoſito virorum equorumque ornatu, circum ſunt ingreſſi. Dubium profecto, magisne veſtium concinnandarum induſtria, an ars inſtruendorum equorum ipſorumque pulchritudo, an vero liberalitas & magnificentia quinquaginta iſtorum Heroum, in effundendis ſumptibus, eorumque dexteritas in equeſtribus exercitiis laudanda. Ita enim omnia hæc, mirifica prorſus vi, oculos intuentium perſtringebant, ut ſingulis præcellentia deberi videretur. Dum ita ſuſpenſi ſpectantium animi admirationi Pompę illigantur, equites, factis aliquot gyris, velut prælii cujuſpiam præludiis, in diverſas turmas ſenſim diviſi, concurſu ſagittarum, hoſtilium in modum formatarum, veterum prælia figurabant. Quo concurſu aliquoties iterato, in duas diverſas turmas iterum digreſſi, paululum quievere. Deinde, dato ſigno, duo ex una turma ſimul erumpentes, alios duos ex adverſa turma in arenam provocaverunt. Vocati in evocantes effuſi, ictibus globorum terreorum ipſos petiere, quos hi,

hi, vel clypeo apte objecto, caute declinaverunt, vel evitandi imperitia, facie in tergum verſa, aliave corporis parte exceperunt. Hac alterna binorum, deinde quaternorum, ex utraque parte, evocatione, pugna ad unum continuata. Qua peracta, haſtifragia contra duos ruſticos, ad id decem ſcutatis conductos, armisque præmunitos, exercuere. Vergente jam die, ludi, ſpecie ſeveritatis Martiæ, exuti, in placidiores, choreas nempe, converſi: Hæ, cænante Poloniæ Principe Vladislao in Proregis Palatio (adſidente & ipſo, prope Sereniſſimum Principem, Prorege) cæptæ, in multam deinde noctem protractæ ſunt. Pro Poloniæ Principe Vladislao, locus theatri modo exſtructus erat cancellis præmunitus, viaq;, ad eum uſque locum, aſſeribus tecta. Ipſe Prorex, in capite aulæ collocatus, publicum ejus feſti ſe præbuit ſpectatorem. Ad ſaltum neq; vir, neque fœmina, egrediebatur, priuſquam à choreæ Præſide (qui maturus & moribus & ætate vir erat) hâc primum manu in medium producta, ille alta voce poſtea vocaretur. Saltantibus Magiſter ejus artis adſiſtebat, ut errores vel exemplo præveniret, vel monitione corrigeret. Peracto ſaltu, vir fœminam in medio aulæ relinquebat, quam deinde ad ſuum locum Præſes ille reducebat. Contigit autem tunc

 binas

binas ſimul ſaltaſſe, quarum uni reducendæ dum Præſes ille manum porrigeret, altera, videns ſolam ſe remanſuram, ipſum ſequebatur, clamitans, ut & ſe reduceret: ita Seniculus, in medio duarum juvencularum conſtitutus, riſum omnibus excitavit.

Pedeſtre eorundẽ Heroum certamen videt 12. Ian:

Sequenti die Poloniæ Princeps, pedeſtri heſternorum Heroum concurſu recreandus, iterum in Palatium Proregis proficiſcebatur. Locus ſpectaculi erat aula illa, in qua, heſterna nocte, choreæ ducebantur. Hic Poloniæ Princeps, è regione fœminarum, cancellis itidem tectus, conſtituebatur. Ipſe Prorex, mediâ, inter fœminas, Majeſtate (in qua Angeli effigies, collo adamantes geſtantis, mirifice fulgebat) conſedit; judicibus ludi, immediate ſub theatro Poloniæ Principis, collocatis. Sic ſpectatoribus conſtitutis, Heroes illi bini & bini, præcedentibus ſingula paria tympanis quatuor, tubicinibus aliisque ſubſequentibus, eorum ſcutiferis miro veſtium armorumque ſplendore ornatis, aulam Junonio velut paſſu ingrediebantur: natis, levataque in tranſitu ex humeris haſta Proregem venerati, in medio aulæ in gyrum conglobati ſtetere. Tunc, factis pugnę legibus, delectisq; æmulis, in diverſas partes digrediebantur, facta, interjectu perticæ, partium ſeparatione. Quid porro? Strepunt tympana, clangunt tubæ, ardent animi. Sic clauſis

clauſis galeis à ſingulis ex utraq; parte cōcurſum: fractisque ternis à quolibet haſtis, numeratis deinde gladiorum ictibus cominus decertatum. Judicio de victoria lato, præmium victoriæ [quod plerumq; annulus erat, à quapiã ex fœminis ſpectatricibus ſubminiſtratus] pręambulis tympanis fiſtulisque, alicui, quam victor nominabat, fœminæ porrigebatur.

Neapoli diſcedit. 13. Ian:

Hoc ſpectaculo Poloniæ Princeps horis aliquot recreatus, ad Palatium ſuum tandem reverſus, nocturna quiete, ad iter in craſtinum Romã, ſe præparavit. Tunc eum, Proregis nomine, idem, qui antea, Iohannes Deodati, Proregis Oeconomus, per totam ditionem Neapolitanam, Fundos iterum comitatus eſt, & Pontificis Officialibus, in limitibus Poloniæ Principem honoris gratia exſpectantibus, quaſi in manus tradidit.

Romam redit. 17. Ian.

Ita Poloniæ Princeps iterum, à Domino Carolo Magalotti, curribus & equis Pontificijs exceptus, ab eodem rurſus Romam, & ad Palatium S. Petri (ubi toto deinde commorationis tempore hoſpitium habuit) deductus eſt.

Enſis & pileus cōſecratus illi à Pontifice offertur. 19. Ian.

Tunc inter alia iterum, in honorem Polonię Principis, cum jam diſceſſum pararet, illud æterna memoria dignum. Cum moris ſit ut quolibet Anno Iubilæi, enſis bis acutus, pileusque holoſericus

ricus,pelle ermelinorum ſubductus, benedictione Papali ſacratus, cuipiam Chriſtianorum Principum offeratur, hoc quoq; favoris genere, munificentiam in multis,ergaPoloniæPrincipem,prolixe exercitam, Summus Pontifex cumulare voluit. Itaque,abolito ritu in hac occaſione adhiberi hucuſque conſueto, compoſitaque,in gratiam Principis,poſt hac ſemper uſurpanda, Cæremonia nova, in ſacello Summi Pontificis interiore, juxta conclave ejus, gladius ille lateri Vladislai Principis à Summo Pontifice applicatus, à Magiſtro Cæremoniarum cingulo aſtringitur, ac deinde exſolutus Radzivillio Duci tenendus traditur. Pileus conſecratus ſimiliter capiti Principis à ſua ſanctitate impoſitus,curæ ejusdem Duci committitur. Adhibitæ ſunt in hoc actu cæremoniæ, orationesq;, quas hodiernus Pontifex, exterſis,ob inconcinnam,quam referebant,ruditatem veteribus, de novo, ut dixi, compoſuit.

Cum Pontifice prãdet. Confecta hac cæremonia, Summus Pontifex & Poloniæ Princeps Vladislaus, ſimul pranſuri, ad aulam prandio delectam ſe contulerunt. Pontifici lavanti Princeps Poloniæ, Ordinario Principum Regumque Chriſtianorum more, mantile genu flexus porrexit. Accumbente Summo Pontifice ad menſam aliquanto eminentio-

tiorem, ſub Majeſtate, Poloniæ Princeps ad alteram menſam demiſſiorem, intervalloque ſejunctam, ad manum Pontificis aulæque dexteram, ſedili ligneo, nulloque tegumento, collocabatur. Rariſſimæ hujus ſolennitatis viſendæ cura, multos in Palatium Summi Pontificis pellexerat: & licet pauci intromitti ex ſingulari gratia viderentur,in eam tamen copiã excrevere, ut tota aula oppleretur. Bibente Pontifice,omnes genu flexi,in terram procidere: ipſe autẽ Poloniæ Princeps,paululum aſſurgens, allevato ex capite pileo, potantem venerabatur. Poloniæ Principi à Kazanovio vinum porrectum in ſimplici vitro, ſine orbe, aut quocunque, diſtillantis ex vitro vini,receptaculo. Frequens inter utrumq;, per internuncios, in menſa converſatio. Submiſſa quoque à Summo Pontifice, ex menſa ſua,Poloniæ Principi fercula, in argumentum ſingularis benevolentiæ ceſſere. A prandio, Turcici, Tartarici, Moſcoviticique,Regiæ Majeſtatis Polonicæ, & ipſius Vladislai Principis, triumphi ac laudes, verſibus pulcherrimæ harmoniæ ſubjectis, certante vocum exquiſitiſſimarum inſtrumentorumq; modulamine, decantatæ.

Quibus dum rapti circumſtantium animi, velut æmula cælo ſuavitate,detinentur,ipſe Summus *Familiarius cum Papa col-*

loquitur, & ei valedicit. mus Pontifex in cameram proxime huic aulæ conjunctam, cum Poloniæ Principe Vladislao ſecedens,portæque adſidens, avocatum aliquantiſper à ſenſu muſicalis voluptatis animum, familiarioris cum Poloniæ Principe converſationis,non facile rediturae dulcedini applicabat. Satijs laudum vocumq; admiratione auribus, Poloniæ Princeps à Summo Pontifice ad conclave ſuum digreſſus, paulo ante cænam, ei valedicturus,redijt. Admiſſis(dum Sereniſſimus Poloniæ Princeps Pontifici adſidet) ad oſcula pedis omnibus comitatui Sereniſſimi attinentibus, & Poloniæ Princeps, facta gratiarum actione humiliq; reverentia, abituriret, Summus Pontifex caput ejus arctiſſime complexus, utrinq; vultui ſuo,magno cum affectu,ac fere lachrymabundus, appreſſit,et,benedictione impertita,dimiſit.

Corpora SS. Primi & Feliciani ei offeruntur. Abeunti à Summo Pontifice, à Cardinale Barberino oblata ſunt corpora Sanctorum Primi & Feliciani Martyrum, Patronorum diei natalis Poloniæ Principis Vladislai : particula item offis S. Sebaſtiani, pluribus, ad inſtar roſæ, circumſuta gemmis. Radzivillio Duci corp⁹ ſimiliter S. Argentini donatum. Reliquis ſingulis datæ effigies Summi Pontificis aureæ argenteæque cum roſariis. Cœna lautiſſima deinde Vladislaus Prin-

Princeps,cum comitatu ſuo,à Cardinale Barberino, exceptus eſt: cui etiam Cardinalis de Torres, ampliſſimi Poloniæ Regni, & illuſtris Polonicæ nationis protector, interfuit.

Inde Poloniæ Princeps 20. Jan: Roma profectus,ad ipſos Hetruriæ fines,à D.Carolo Magalotti, Summi Pontificis nomine,deducebatur. Invitaverat autem jam antea Vladislaum Principem Magnus Hetruriæ Dux. Ut primum ergo Statum ejus attigit, prope Radicofanum, Don Coloredo cum quadraginta nobilibus: prope S. Ciricium Princeps Don Lorenzo Patruus Magni Ducis: ac noviſſime, prope S.Caſſanum,ipſe Magnus Dux, cum duobus fratribus, Principe Don Carolo, & Principe Don Matthia,Poloniæ Principi occurrebat: ſalutatumq; in currum ſuū excipiens,in Orſini Palatium deduxit. Præparata erat hic menſa pro Poloniæ Principe ſeparata, cui, multam poſt inſtantiam Poloniæ Principis, Magnus Dux,cum Principibus fratribus accubuit. Hinc,præcedentibus via ordinaria famulis,Sereniſſimi,per hortū Palatii Magni Ducis,Florentiam invehebantur.

Roma proficiſcitur 20. Ian. *A Magno Duce Florentiam introducitur 26. Ian.*

Nullibi in Italia tantum lætitiæ, chorearum, & ſpectaculorum.Ut ſileam enim pilarum ludum (quem Itali calce, à calcibus quibus pila protrudi ſolet, vocant) in honorem Poloniæ Principis non

semel exhibitum: conflictus leonum, ursorum, taurorum, aprumque frequentes: equestria denique Heroum exercitia & certamina quotidiana: tum vel, rarissimæ dexteritatis ingeniique Comœdiæ, in honorem Poloniæ Principis actæ, singulis prope Scenis, mirifice oculos omnium animosq; recreaverunt. Et quid refert unam alteramve è pluribus, tanquam ad gustum, lectori quoque proponere? Inprimis Tragicomœdia, de martyrio S. Ursulæ Sociarumq; virginum, in aula Palatii veteris majore exhibita, Scenarum elegantia & varietate, actorum vocibus & habilitate, vestium apparatuumq; omnium splendore & magnificentia, in stuporem & fixam attentionem spectantium animos, mira cum jucunditate, composuit. Stupenda hic Inferni consultantiumque Dœmonum repræsentatio: ejus subito in situm Coloniensem mutatio: Civitatis Coloniensis facta veterum more testudine oppugnatio: Paradysi artificiosissima juxta ac jucundissima effiguratio: balletum deniq; à Nobilibus Curiæ, personas Romanorum, Civiumque Coloniensium, de Gauro Hunnorum Rege triumphantium, referentibus, exhibitum, oculos mentesque adsistentium mira voluptate perfudit.

A Magno Duce variis spectaculis recreatur

Tragicomœdia de S. Vrsula sociarũq; Virginũ.

Inde in villa Serenissimæ Archiducis imperiali, prope civitatem, Comœdia de Rugero, Alcina,

Comœdia de Rugero, Alcina, & Melissa.

cina, & Melissa, pulcherrimo quoq; apparatu & theatro fuit decantata. In prima Scena Neptunus, duobus Hyppopotamis per mare in rupe vectus, comitante Vistula & aliis fluviorum imaginibus, apparuit. In secunda, totum mare in fluctus undasque & scopulos igneos, præstigiis Alcinæ deformatum, circumnatantibus undiquaq; monstris infernalibus & marinis. Inde arbores saltitantes loquentesq; introductæ. Mutato deniq; mari in scopos & saxa, arte Melissæ, repagula Insulæ pandebantur; unde octo virgines egressæ, chorea figurata, lætitiam, è liberatione conceptam, testabantur. Quibus, paulo post, totidem juvenes, theatro deproperantes, saltus alacritatisq; comites sese junxere. Finito hoc saltu, effusisq;, è Scenæ loco, in aream conjunctam, spectatoribus, equites viginti quatuor in eandem aream progrediebantur, compositosq; ad numerum & cantum equorum passus, miris prorsus flexibus, in gyros choreales torsere & retorsere; sic ut difficile judicatu fuerit, majorne memoria & industria fuerit in equitibus, an vero dexteritas in ipsis equis.

Deniq; in Palatio Cardinalis, transacto choreis aliquanto tempore, diductisq; theatri velis, prævio tympano, Duce Marte, egressus Princeps Franciscus, manum Spartanorum juvenum in arenam deduxit: inter quos Princeps Johannes Carolus

Iuvenum, Virginũque Spartanarum certamẽ

lus Eques Melitensis primas habuit, selecta juvenum, ad pugnam exercitatorum, cohorte stipatus. Ex alia theatri parte, Ductrice Pallade, Princeps Leopoldus, copiam virginum Spartanarum produxit, contra juvenes illos hastis certaturam. Utrisq; partibus è regione sibi constitutis, Mars & Pallas, de præcellentia suæ quisq; cohortis, versibus musicæ subjectis, in theatro altercantur; ac demum ad periculum virium prælio faciendum devenitur, accensis in pugnam utrorumq; animis. Ministrantur hastæ, librantur brachiorum composita agitatione ictus, concurritur, scite utrimq; decertatur. Fervente conflictu, Cœlum in theatro aperitur, & Jupiter, dato per fulmen signo, silentium indicens, victoriam, publico decreto, virginibus Spartanis attribuit. Recedentibus præliatoribus Diisq;, & amœnissimo Cœli conspectu velis erepto, choreæ denuo inchoatæ.

Hisce similibusq; spectaculis, Poloniæ Princeps, septimanas aliquot varie recreatus, tandem iter suum prosequi decrevit. Sicut enim omnium aliarum rerum, ita deliciarum quædam quoq; satietas est: quarum Magnos Principes citius, quam seriorum nausea subit. Itaque Poloniæ Princeps Florentia tandem discessit: sed sic quoq; magnorum Principum illorum humanitatem, benevolen-

Poloniæ Princeps Florentia discedit. 13. Feb.

tiam, cultumq; non evasit. Quippe Archiducissa, ipse Magnus Hetruriæ Dux, Madama, Princeps Laurentius, aliique Principes, cum tota aula, honoris gratia comitabantur. Et tunc quidem, decem Florentia milliaribus (ut tanti Principis, jugi novitate, animus pasceretur) prandium, sub tentorio, patentibus campis sumptum. Inde Poloniæ Princeps ab Archiducissa, & ipso Magno Duce, in diversam à proposito sententiam tractus, Pisas prius, Livornum, & mare mediterraneum videre decrevit. Itaq; sequenti die Pisas intravere. Ibi inter alia, in gratiam Poloniç Principis, triremes novæ, tubis, tympanis, tibiis, & solennitatibus aliis, in elementum usui suo conveniens, actæ.

Pisas intrant 14. Feb.

Pisis Livornum profecti, pretiosissima Magni Ducis trireme, quæ Cleopatræ & Antonii Regiam puppem, ad molles delicias omnino compactam, ornatu & artificio vinceret, ad medium usq; milliare undas secavere. Mox triremes omnes Magni Ducis, quotquot in stationibus erant, anchoras levantes, in occursum navigaverunt, & Serenissimos tormentorum explosionibus veneratæ, cunctis navalibus exercitiis recreavere. Magnum tunc temporis hoc à *Poloniæ Principe*, ad solitæ clementiæ famam, & populi, cui olim, liberis omnium votis, imperaturus erat, efficax ad exemplum: quod

Livorni mare navigātes à triremibus Magni Ducis recreantur navalibus exercitiis.

 quod

Vladisla⁹ Princeps multa Sarmatica mancipia libertati restituit.

quod plurima Sarmaticæ Nationis mancipia, ad triremes damnata, sua apud Magnum Ducem intercessione, pristinæ libertati restituerit. Horum à Turcis alij, alij à Tartaris Scythisque in extremam servitutem abducti, miserrimæ vitæ tædio libertatē præputio emerant: & mox, nefas! Christianorum spolijs inhiantes, pyratica opes & divitias anhelarant. Sed proposito in exitium acti, à Magno Duce rursus, expugnatis eorum navigijs, ad triremes damnati fuerant, velut in quotidiana tormenta mortemq; continuam jussi superesse. Nunc autem clementia Serenissimi *Poloniç Principis*, sceleris pœnitentia ducti, libertatem & religionem Christianam simul recuperaverunt.

Venetias venit & varijs ibi spectaculis honoratur.

Tandem Poloniæ *Princeps*, Archiducissæ, Magno Duci, Madamæ, & Laurentio *Principi*, valedictis, per *Pisas* & Florentiam recta Venetias proficiscebatur. Quas ubi post aliquot dies intravit, à magnæ Reipublicæ magnis Senatoribus, officiosissima oratione exceptus, omni officiorum genere honorabatur. Nam & toto commorationis tempore, quod aliquot Septimanarum erat, Reipublicæ sumptibus, in Donati *Palatio*, regie fuit tractatus: & quicquid Sanctioris aut celebrioris in Urbe, deducentibus Senatoribus, *Poloniç Principi* patuit. Comœdiæ deinde, & spectacula alia, in honorem Principis, diebus singulis fuere exhibita. Deniq; & in magno Canali Naumachia, in ejusdem Principis gratiam, fuit instituta. Hanc centeni aliquot Patricii ordinis adolescentes, facta, Senatorio jussu, vestibus pretiosissimis diversiq; coloris partium differentia, exhibuere. Mirum dictu quomodo & ornatus vestium, & juvenum invicem concurrentium docta agilitas, lenocinium mutuum sibi præstiterint. Adeoque & multorum judicio, hoc navale certamen, Naumachiis veterum, Romæ ab Imperatoribus olim exhibitis, & sumptu, & elegantia, & singulari concurrentium juvenum exercitio, fuit æquiparatum.

Per Viennam & Nissam in Poloniam redit.

At jam vere novo redibat paulatim Sarmatiæ suæ sua quoq; felicitas, & vicina septem Trionibus Regna, Phœbus efficacioribus radiis, in æmulam Longobardiæ amœnitatem variabat. Itaque Poloniæ Princeps, ut Patriis quoque deliciis frueretur, cum per otium munitiones Palmæ Novæ lustrasset, Venetæ Reipublicæ valedicens, per munitissimum in Styria Græcium, Urbem natalitiis maternis charam, Viennam rediit. Ibi emergentes è præsentia ejus lætitiæ, morbo ejusdem Principis, in mæstitiam degeneraverunt. Sed paulatim, divina gratia, pristinæ sanitati restitutus, Imperatoriis, jucunditatem anhelantibus, votis satis-

ſatisfecit. Noviſſime, in negotio Principis Caroli Ferdinandi Fratris ſui, Niſſam profectus, Epiſcopatum Vratislavienſem Sereniſſimo Fratri, & optatum peregrinationis ſuæ fructum, uſum & experientiam, ad Sereniſſimos Parentes in Poloniam retulit.

Et hic eſt, humaniſſime Lector, famoſiſſimæ hujus peregrinationis finis: cujus ego rariſſimas ſolennitates, ob nimiam horum ubique frequentiam, omnes non attigi. Fateor enim ingenue, me ad honorum, Poloniæ Principi Vladislao paſſim exhibitorum, varietatem & eminentiam, calamo ſtyloque, non potuiſſe aſſurgere. Hoc unum ergo dixiſſe ſufficiat, & viribus meis fuiſſe majores, & Principum, Urbiumque magnarum, ſumptibus fere fuiſſe tractatum. Ea autem, vice verſa, Regii Principis Vladislai ubique munificentia fuit, ut cum ad ſumptus plurima, in excipiendo Principe, Duces, Magnates, Urbesque impendiſſent, plura tamen ipſe donarit. Quin immo & authorem omni fide digniorem habeo, diverſis in hac peregrinatione occaſionibus, ut liberalitatem & magnificentiam ſuam oſtenderet, à Poloniæ Principe Vladislao, ad centum quinquaginta millia, fuiſſe donata. Et recte hoc ad conſilium Sapientis Latini. *In divitiis & temperantia, & liberalitas, diligentia, diſpoſitio, & magnificentia campum habeat patentem.*

Ejus munificentia ubiq; ſingularis.

Sen. de Vita beata.

FINIS PARTIS PRIMÆ.



Ad Lectorem.

EST, benevole Lector, quod hic quoq; te scire velim: videlicet in tres libros hanc etiam partem, Serenissimum VLADISLAUM IV. REGEM, repræsentantem, me distinxisse: Quorum primus electionem ejus, coronationem, & solennem legationem Romam: secundus totus bellicus, Moscos à Smolensci mœnibus pulsos, obsessores obsessos, ad pedes usq; Regis humiliatos, &, dilatatis Regni terminis pacem perpetuam initam; deinde Amurathem Turcarum Imperatorem, terrore adventus Regii, ad ignominiosam pacem compulsum, & Borussiam liberatam: Tertius totus pacificus, Regnum visitatum, honorem doctis exhibitum, Cæciliam Re-

natam ductam & coronatam, & Principem Sigismundum Casimirum ex ea natum, continet. Neque de veritate hujus quoque partis dubitare te volo, quia à viris fide dignissimis, qui ipsi interfuerunt, accepi, & non minus, quam primam Partem, á gravissimo Senatore Poloniæ Regni, perlectam, ad typum dedi. Fruere itaque sine scrupulo, benevole Lector, & vale.